EXERCITATIO THEO

DE

NOACHO T

AD ILLUSTRATIO

Gen. Cap. V. *vers.* 2

Ubi etiam

OECONOMIA GRA

quæ ſub *Eodem* obtinuit, concin

QVAM

PROPITIO CHRIST

Vero illo, Miſerorum ex Univerſali

emergentium, *Conſol*

SUB PRÆSID

VIRI PLURIMUM REV

PAULI GYÖN

à PETTYEN

Illuſt. Eccl. Angl. Præsbyteri S. S. Theo

Reverendiſſimæ ſuæ Facultatis

IN AUDITORIO MA

ALMÆ UNIVERSITATIS V

Die 17. Julii A. MDCCX

Placido Eruditorum Examini

AUCTOR & RESPONDE

LADISLAUS BA

Hungarus ex Tranſylva

FRANCOFURTI ad VIA

Literis PHILIPPI SCHWARTZII,

THEOLOGICA
E
TYPICO,
RATIONEM
V. vers. 29.
iam
GRATIÆ,
, concinnè delineatur.
AM
CHRISTO D.
versali corruptionis Diluvio
, *Consolatore,*

ÆSIDIO
M REVERENDI
ÖNGYÖSSI
TYEN.
S. Theol. D. & Profess. P. O.
cultatis h. t. Decani
IO MAJORI
ATIS VIADRINÆ
MDCCXXXIV.
Examini Submittit
ESPONDENS
S BAKTSI,
Transylvania.

---

ad VIADRUM,
RTZII, Acad. Reg. Typ.

VIRIS

SUMME REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS, PRÆCLARISSIMIS AC IN REPUBLICA LITERARIA FAMIGERATISSIMIS.

DN. PAULO ERNESTO JABLONSKI,

MAGNIFICO UNIVERSITATIS VIADRINÆ RECTORI, S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE FACULTATIS PROFESSORI P. O. CELEBRATISSIMO, ORACULORUM DIVINORUM IN ECCL. REFOR. IBIDEM INTERPRETI FACUNDISSIMO.

DN. TILEMAN. HENRICO SIEGEL,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESS. P. O. POT. BORUSS. REGIS CONCIONATORI AULICO,

UT ET

CÆTUS REFOR. FRANCOFURTENSIS PASTORI FIDELISSIMO, ALUMNORUM HUNGARORUM EPHORO PROVIDENTISSIMO.

DN. JOHANNI DAVIDI GRILLO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE UT ET PHILOL. S. PROFESSORI P. O. LONGE MERITISSIMO

DN. JOHANNI GEORGIO MICHAELIS,

PHILOL. S. PROFESSORI P. O. VERBI D. M. ITEMQVE SCHOLÆ FRID. REG. RECTORI DIGNISSIMO

DOMINIS, PATRONIS, FAUTORIBUS ATQVE PRÆCEPTORIBUS SUIS

Omni pietate ac obſervantia adusque tumulum ſuſpiciendis

Specimen hocce Academicum humilimè, reverentur ac fidenter

D. D. D.

AUCTOR.

I. N. D. N. I. C. S. M.

§. I.

Licet Fœdus Gratiæ, si ipsam ejus substantiam spectes, ab omni ævo nonnisi unum unicumque fuit, idemque in omnem æternitatem futurum est, neque vero ut aliud sit, fieri ullo modo potest. Non datur alia via, quâ *θεοπρεπῶς* obtingat peccatori Salus, præter eam, quæ in Evangelio manifestata est. Undè egregiè dixit Apostolus *non esse aliud Evangelium.* Gal. 1. 7. Et *Testamentum* illud, quod Christi sangvine initiatum est, *æternum* vocat. Hebr. 13. 20. quippe quod ante secula definitum, mox à lapsu primi hominis promulgatum, continua Veterum *καθηχήσει* traditum, à Mose & Prophetis literis consignatum, ab ipso verò Christo & Apostolis uberius explicatum, in omne quoque ævum perennaturum est, & cujus virtute æternorum bonorum hæreditate fidelibus frui licet. Placuit tamen Deo idem *Gratiæ Fœdus*, quoad circumstantias, diversis temporum Periodis diversissimè dispensare, ad demonstrationem multiformis suæ sapientiæ, secundum quam *multis vicibus multisque modis olim loquutus est Patribus in Prophetis.* Hebr. 1. 1.

§. II. Diversitas harum Oeconomiarum duobus summis capitibus comprehenditur, quæ *V. & N. Testamenti nominibus* ab Apostolo designantur. Ubi notandum per *V. Testamentum* nos non intelligere nunc illam duntaxat *Veteris*

Oeconomiæ partem, quæ incepit ad *Montem Sina*, in Majestatica illa *Decalogi* exhibitione, reliquorumque *Præceptorum*, quæ super cervicibus Israëlitarum jugi instar erant, *præscriptione*; Sed totam illam *Fœderis Gratiæ administrationem*, quæ Christi Domini manifestationem in carne antecessit, quæque sub typorum quorundam, imperfectionem aliquam illius status connotantium, & consequenter suo tempore abolendorum, involucris, Patribus quondam proponebatur, quod magnus Calvinus, aliis quidem verbis; idem tamen significantibus optimè expressit. Inst. Lib. 2. Cap. II. Sect. 4. *Vetus Domini Testamentum fuit, quod umbratili & inefficaci ceremoniarum observatione involutum tradebatur; Ideoque temporarium fuit, quia in suspenso erat, donec firma & substantiali confirmatione subniteretur.* Cæterum inficias ire nolim, in hac eadem *V. Testamenti Oeconomia* plures distinctas Periodos observari & posse & deberi. *Prima* itaque *Periodus* est ab Adamo ad Noachum, quæ totam primi mundi ætatem complectitur, in qua erant omnia rudia ac simplicia, cum *Proteuangelium* à Patribus fide acceptum, perpetua institutione filiis diligenter inculcabatur. *Mors* Christi Satisfactoria Sacrificiis, licet paucissimis significabatur ac obsignabatur. *Secunda Periodus* in Noacho incipit, in quo Pater illius Lamechus typum quendam Messiæ cernere sibi visus est, dum fide intentus in Messiam futurum, grandia de eo vaticinatus est. *Hic consolabitur nos ab operibus nostris & à dolore manuum nostrarum & de terra, cui maledixit Deus, vocavitque nomen ejus Noach.* De quo infra uberius dicemus. *Tertia Periodus* ab Abrahamo inchoatur extenditurque ad Mosen. Maxima sanè & pretiosa admodum promissa Abrahamo facta sunt, de *multiplicatione seminis* sui, de danda illi semini *terra Canaan*, de *Messia* ex istius lumbis *orituro*, de *hæreditate mundi* &c. *Quarta Periodus* à Mose ad Christum. In hac periodo alia longè rerum facies ministerio Mosis introducta est. Filius Dei in totius populi panegyri, ex monte Sinai medioque tonitruum ac fulgetrorum *Augusta Legislatione* se Regem Israëlis asseruit, eumque neglectis & anathemati devotis

gentibus,

gentibus. Act. 14: 16. ut carum sibi peculium Exod. 19: 5. 6. plurima hostium strage, in promissam Canaanis hæreditatem introduxit, *Tabernaculum* & *Arcam Fœderis*, ut essent gratiosa Dei sedes, mystica arte construi jussit. Et quis fando enumerare valeat, quibus prærogativis *Periodus* hæc præ cæteris aucta & nobilitata fuit? *Vide sis inter alios solidissimas Her. Witsii Instit. Oeon. Fœd. Lib. III. Cap. II. & III.*

§. III. Sed è diverticulo in viam redeamus, reliquisque *V. Oeconomiæ* dispensationibus suo loco relictis, ad NOACHUM nostrum properemus, qui scopus est nostræ Dissert. Quem ut clarius illustremus, hæc ordine circa illum dispiciemus. *Primo.* Specialia quædam de illo, ut non injucunda, ita nec prorsus inutilia præmittemus. *Secundo.* Ad Oraculum ipsum, quo Lamechus *fideique speique* plenus, nato Noacho emphaticè admodum sese solabatur, propius accedentes. I. In veram nominis Noachi originem modestè inquiremus. II. Oraculi sensum, quantum Instituti ratio permittit, explanare studebimus. III. Eundem Messiæ futuri umbram extitisse demonstrabimus. IV. Denique Typicam ejus rationem elicere, & aliquot Thesibus comprehensam L. B. nullis adhuc præjudiciis fascinati oculis placidè subjicere satagemus. NB. In his tamen omnibus ita versabimur, ut cæteris parcius immoraturi, ultimis præcipuè partibus pressius inhærendum existimemus. Quæ ubi fideliter exequemur, speramus nostram oppellam quoque, ad illustrandam *Doctrinam Gratiæ sub Noacho*, aliquantulam lucem si non accendere, eo saltem adniti. Et sic *in rebus magnis voluisse sat est.*

§. IV. I. Quis quantusque vir fuerit Noachus, qualemque ejus tempore mutationem, & Ecclesiæ facies, & totius hujus mundi machina subierit, ad ejus fidem nobis conciliandam abundè sufficit narratio Dei per os Mosis, *qui fidus fuit in tota Domo Dei.* Hebr. 3. 2. 5. Potuisse autem ea omnia fieri, manifestum est, si consideremus Dei *justitiam*, *sapientiam* & *potentiam*. Et porro revera ita facta esse, sacra oracula indubiè testantur. Sed præterea, quandoquidem

præclara illius facinora per longam nepotum seriem, in memoriis hominum retenta ac subinde reculta fuere, vero non est absimile, in ipsa Gentium dispersione quoque, quædam rudimenta Historiæ Noachicæ inter eos supermansisse, ac quaqua versum dimanasse. Quæ enim de Noacho, diluvio aliisque circumstantiis narravit Moses, iis haud dissimilia Pagani Scriptores posteris noscenda reliquerunt. Non dissimulandum quidem est, Gentilium narrationem in nonnullis à Mosaica deflectere. Et curavit hoc *Satanas* antiquus ille *serpens* solertissimè, ut divina veritas fabulis & commentis humanis intermisceretur, quò vera suspecta redderentur; Falsis verò conciliaretur fides. Etiam; quæ tenui fama, ex primæ promissionis, aliarumque revelationum divinarum traditione, priora mundi secula, de futuro Messiæ regno invaserant, in lacunas ethnicas diducta, vaticiniis sibyllinis permista fuerunt. Vide sis *Joh. Henr. Heideg. Hist. Patr. Tom. I. Exerc. XVI.* § *41. 42. Oveni Theol. Lib. 3. cap. II. §. 1.*

§. V. Speciminis loco igitur, ex larga Eruditorum messe manipulis quibusdam collectis, ac in nostras rationes translatis, juvat rem, quæ jam posita est, illustrare. א. Noachum Ante-diluvianum *justitiæ præconem* fuisse, affirmat Apostolus. 2. Petr. 2:5. Qui officio isto rite fungens, quem sanare non poterat, *fide & factis mundum condemnavit.* Hebr. 11: 7. Concionum ejus memoriam in Carminibus, quæ Oracula Sibyllina dicuntur, non admodum difficili opera reperiri posse, Doctorum quorundam est opinio. Famosum planè est Carmen *Sibyllæ Erythrææ*, quod Compendii causa Latino duntaxat Sermone depingam conspiciendum:

Perfidiosi homines, quæ vos dementia cœpit?
Quæ facitis, Deus haud ignorat; Namque salutis
Author inextinctus videt omnia, & omnia novit,
Qui mihi jussit uti vobis hæc dicta referrem.
Exitio ne sit demens socordia vobis,
Discite justitiam, vitiis absistite, nec ne
Inter vos animis odia exercete cruentis,
Humano late tingentes sangvine terram.

ut

ut ut non nesciam, esse etiam ex adverso plerosque eruditorum, qui de hoc aliisque Sibyllarum Carminibus diversissimo sint judicio, statuantque, quæ Sibyllarum nomine circum feruntur, ficta esse omnia. Et eorum Authores non tantum plurima ex sacris scripturis hausisse; Sed *Christianos* fuisse & *Hæreticos*, qui *Centones istos composuerunt*. Meum de his disputare non est. Judicent Docti. Id tamen verum esse fortiter contendimus. 1. Fuisse inter Gentiles *Fatidicas* quasdam *Mulieres*, quas *Sibyllas* vocavere. *Vide sis Horn. Arc. Noë. & Hofman. in v. Noë. p. 342.* 2. Multa sacrarum Historiarum rudera, in Gentilium scriptis, etiamsi (quod fatendum est) fabularum involucris tecta latitare. Et denique 3. Vix aliquid unquam Historiâ Noachicâ illustrius ac ipsis quoque Gentibus (quo de supra jam monitum est,) memorabilius accidisse.

§. VI. Unde ב. Celebratissimum est de Noacho, quod ubi Deus omnes homines in universo terrarum orbe, omniaque animantium genera, quæ in aquis vivere nequeunt, exceptisque iis, quæ jubente Deo Noachus in arca tutatus est, aquis diluvii submersit, ipsi tamen Noacho, uxori ejus, tribus filiis totidemque nuribus pepercit, ac salvos in arca fieri jussit &c. Cujus rei documenta varia in scriptis & traditionibus Gentilium nonnulli sibi invenisse visi sunt, v. g. in *Xisustro*, *Saturno*, *Prometheo*, *Deucalione*, *Ogyge* & *Libero* seu *Baccho*. Missis aliis, quæ de Saturno veteres tradunt, haud ineptè in Noachum quadrare, jam à plerisque probabiliter demonstratum est. „Ut enim Noachus „omnium, qui post diluvium vixerunt, communis parens „est: Ita *Saturnus* παγγενέτωρ, & ejus uxor Rhea mater „Deorum hominumque, in Orphei hymnis appellatur. „Saturnum justissimum regem fuisse volunt. De Noachi „*justitia* & *integritate* luculenta S. Scripturæ testimonia nos „dubitare non sinunt. Saturnum & uxorem Rheam, & „qui cum illis fuerunt, ex Oceano & Thetide natos finxerunt „Poëtæ, quod apprimè itidem Noacho convenit, qui „cum uxore, filiis & filiorum uxoribus, ex aquis diluvii emersit.

„emersit. Navem, Romani Saturni Symbolum esse voluerunt, quo haud obscurè arca Noachi significatur, qua cum suis universale diluvium evasit. Saturnum omnes filios devorasse fingunt, præter *Jovem*, *Neptunum* & *Plutonem*, qui soli superstites universum orbem inter se diviserunt. Noachi tempore omnes omninò homines aquis diluvii submersi periere tribus superstitibus filiis, *Semo*, *Chamo* & *Japheto*, qui orbem inter se partiti sunt. Et quidem uti *Epiphanius advers. hæres. Lib. II. Tom. II. Eusebius in Chron. Philastrius Brixiensis hæres. CXVIII. opinantur*, jactis apud Rhinocoruram sortibus. Uti hoc *Franc. Buddeus in Hist. V. T. Period. I. Sect. II. ad §. VIII. annotavit*.

§. VII. Præterea neque displicet eorum conjectura, qui per *Jovem Ammonem*, Chamum significare voluisse veteres, opinantur. Uti enim à posteris *Chami* Lybiam & Aegyptum excultas esse, vero simile videtur, unde & Aegyptus toties vocatur ארץ חם *Terra Cham*; Ità & *Jupiter Ammon* eorundem populorum primarium fuit idolum. Accedit quod Curtius tradiderit, *Jovem Ammonem* in Cymba circumgestasse veteres, ut *diluvii* forsitan & *arcæ Noachi*, in qua servatus erat *Chamus*, servarent memoriam. Uti *Joh. Schütze ex Aegid. Strauchii Dub. Hist. Chron. retulit*, *Jovem* quoque *Saturni* patris virilia abscindentem Chami imaginem esse, nudatum patrem ridentis, admodum est vero simile. Per *Neptunum Japhetum* exhiberi, Doctorum virorum est sententia; Idque vel ideo, quod Japheto maritima omnia cum insulis obtigerint, vel quod ipsum Japheti nomen quoque apud Mythologos sæpe occurrere, notum est. *Semum* denique *Plutonis* nomine venire autumant, qui hoc ideo putant, quod idololatriæ ac impietatis hostis fuerit acerrimus, quæ illius rei ratio an satis probabilis sit, ambigo. Vide plura apud Gerh. *Joh. Voss. de Idol. Gentil. Lib. III. cap. 14. Sam. Boch. in Phal. l. 1. cap. 1. Pet. Dan. Huet. demonst. Evang. prop. IV. Natal. Alex. Hist. Eccl. V. T. ætat. II. cap. II.*

§. VIII. ג Noachum fuisse איש האדמה hoc est, *Terræ virum*. Moses testatur. Gen. 9: 20. Humili nimirum vivendi genere

genere occupatum. Hoc miseram in terris peccatorum conditionem, suamque speciatim, qui horrenda Dei judicia in mundum Ante-diluvianum viderat, decuit; (*Saturnum Rhea*, hoc est, *Terra*, Virum seu maritum fuisse, lusus est Mythologorum. *Boch. Geog. Sac. Lib. I. cap. 1.*) sic enim solent describi, qui studiosè alicui rei operam navant. e. g. *Vir belli*, id est, *miles* Jos. 5. 4. *Vir pecoris*, id est, *opilio* Gen. 46: 32. *Vir verborum*, id est, *disertus* Exod. 4: 10. Ita Noachus dicitur *Vir terra*, id est, *Cultor terra*, peritus in arte vinitoria. An autem vitium Sator vinique inventor Noachus primus extiterit, determinare non est hujus fori. Hæc tantum hic notare sufficiat. (1) Ridiculi sunt planè Hebræorum Magistri, quando in libro, cui Titulus הכרומה fabulantur: Noachum eodem die, quo plantavit vineam, etiam vindemiasse, bibisse, inebriatum esse, nudatum jacuisse. Rabbini perhibent: Cum Noachus vineæ serendæ manum admoveret, venisse *Satanam*, stantemque ante eum dixisse: Quid conseris? Quo dicente *vineam*, retulisse: Cui bono? Tum respondisse Noachum: Fructus ejus dulces esse & humidos & siccos, deque iis fieri vinum, quod cor hominis lætificet, uti scriptum invenitur. Hic Satan: Age jungamus operas. Cum respondisset Noachus: Quod fœlix faustumque sit! Satan adduxit *agnum* eumque occidit sub vite, similiter *Leonem*, *Porcum* & *Simiam*, stillavitque sangvinem eorum in vineam & potavit eam de sangvinibus. Id indicium quod antequam homo bibat de vino, sit instar *agni* & *ovis*, si bibat decenter, fortis ut *Leo*, & dicit, sibi similem non esse in mundo; Cum bibit plus æquo, *porco* fit similis, qui se inquinat sordibus; Inebriatus similis fit *simia* stanti, saltanti, ludenti & producenti coram omnibus turpiloquium oris, nec scienti, quid faciat. *D. Aegid. Strauch. Dub. Hist. Chronol. Jac. Phil. Bergom. in suppl. Chron. l. 2. p. 12.* (2) Observandum est, in *Jano quoque Gentilium*, ut curiosis quibusdam rerum indagatoribus videtur, *Noachum latere*, *quem* ita dictum esse (*α*) quasi *vinitorem*, seu *vini authorem* non abs ratione statunt; cum prima mentio *vini* in historia

Noachi fiat. Eſt enim *Janus* ex Hebraico יין quod ſignificat *vinum*. Græci eadem de cauſa *Oenotrium* h. e. vini cultorem appellarunt; (*β*) Quod *Janum bifrontem* & utrinque oculatum finxerint veteres, quo memoriam ſubobſcuram Noachi repræſentari autumant, qui mundum ante & poſt diluvium vidit. Mundi ante-diluviani amœnitatem, & ob mundi diluvii undis lacerati vaſtitatem mundi miſeriam ingemuit. Videatur *Calov. de Habit. Japh. in Tent. Sem. Mebr. 1. §. 1.* (*γ*) *Jano* tributa ſunt rerum initia. Itaque & initio ædium nomen datum *Januæ* & initio menſium *Januarii*: Sic à Noacho rerum poſt diluvianarum initia arceſſenda ſunt. *Joh. Henr. Heideg. H. Patr. Tom. I. Exer. 18. §. 42.* Sed verò objicies fortè: Cur ipſum Nomen proprium *Noe* nuſpiam in Gentilium Libris occurrit? Reſp. Quia Gentiles nomina propria ſoliti ſunt lingva ſua interpretari, vel ex notabili aliqua parte hiſtoriæ nomen ipſi proprium finxerunt. Sic Alexander Polyhiſtor Græcè ſcribens *Iſaacum* vocat Γελωτα, ut ex Euſebio conſtat.

§. IX. Verùm in Fabuloſis Gentilium Scriptis aliquam veritatis micam hactenus quæſiviſſe ſufficiat. Ad ſcriptores Eccleſiaſticos jam nos conferemus, ibi quoque non inutiliter pedes parumper fixuri. Hic primum agmen ducit Theodoretus, qui Quæſt. in Geneſ. Noachum fuiſſe σπέρμα τȣ γένȣς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ῥίζαν τῆς φύσεως, καὶ δεύτερον Ἀδάμ. *Semen generis humani & radicem naturæ, & alterum Adamum.* Chryſoſtomus Hom. 24. in Geneſ. ζυμὴν καὶ ῥίζαν μέλλοντος, *fermentum & radicem futuri.* Item vocatur *naufragium facientis naturæ bonus gubernator.* &c. In cujus rei naturam ſi ſerio introſpiciamus, fracta nuce nucleum inveniamus, oportet. Neminem enim, cui eſt judicium defæcatum, arbitror præfractè poſſe negare: Moſen in breviſſima utriusque mundi hiſtoria, ea, quæ de operibus Dei circa utroſque humani generis truncos tam ſtudioſè conſignavit ac æternitati conſecravit, non grandibus planè de cauſis feciſſe. Cur etiam hæreret, veritatis ſtudioſus in cortice duntaxat, ſi aditus pateat ad interiora rei? Nobis

itaque verè ita videtur, & fortè non vana indagine: Noachum non in eo tantum constitui debere similem Adamo, quod ut *hic* prioris, ita *ille* posterioris mundi extiterit *Parens communis*, τέλ@ καὶ ἀρχὴ ἀνθρώπων, *Finis & initium hominum*: Sed longè plures & illas quidem augustissimas esse *Analogias*, quarum Oeconomia Dei, circa utriusque mundi Parentes *exantlata* fœcunda est ac fertilis. Quas brevi saltem penicillo delineare & ob oculos ponere, non erit ab Instituto nostro prorsus alienum.

§. X. Cum ergo nihil vetet, neque cum analogia Fidei pugnet; Has de V. & N. mundi Parentibus liceat in Oeconomia Dei observare stricturas. 1. Quemadmodum Deus *Adamo* & *Uxori* ejus, postquam pucherrimum illud primorum hominum par recens è manibus Plasmatoris sui egressum fuisset, benedixerat benedictione *fœtificationis, dominiique in creaturas*. Gen. 1: 28. Ita & *Noacho* filiisque ejus, postquam ex arca, noviter quasi in dias luminis auras editi fuissent, benedixit: Hoc tamen cum discrimine in posterioribus, quod, cum *Adam* in statu integritatis dominium in creaturas exerceret cum amicitia & amore, peccatum hanc rerum faciem nunc ita immutaverit, ut *Noach* dominium istud cum metu & formidine habuerit. Gen. 9: 1. & sequent. 2. Quod uterque Parentum, scilicet, *Adam* & *Noach*, ex sapientissima Dei ordinatione *Tentamen* subierint, eique, proh dolor! succubuerint in fructu *Arboris*. Quod ipsum pensiculatius consideranti firmius multoque fiet mirabilius, si ponamus, uti & poni non sine aliqua veritatis specie potest: *Arborem, quæ Adamo in Paradiso probibita fuit, fuisse Vitem*. De hoc affirmativè, & quidem absque omni scrupulo determinant Judæorum Magistri. *Sanhed. fol. 70. 1. Bemidbar Rab. fol. 140. 2.* In quam sententiam non pauci etiam ex Christianorum Doctoribus descendere nihil dubitant. Et certè non destituitur illa opinio rationibus non contemnendis ex Scriptura S. petitis. Vid. *Lightfoot. Horæ Hebr. in Luc. Cap. I. v. 15.* Sed in hanc Disputandi arenam descendere nunc non vacat, festinans ad sequiora. 3. Postquam

Adam svadelis conjugis suæ, astu diabolico jam ante seductæ, illectus, ausu (immane quantum!) temerario, ex infelici divinitatis affectatione, fructum vetitæ arboris libavisset, protinus agnovit, tremebundusque fugiens contendit quoquo modo, si tantum fieri posset, suam obvelare nuditatem. Sic *Noachus* nescius sibi temperare, postquam largius ex mero hausisset, suam, quæ antea tecta fuerat, in medio tentorii sui detexit nuditatem. Gen. 9: 21. Atque ita, quod sanè stupendum est, utrorumque Parentum peccati manifestatio facta est in *nuditatis revelatione*. 4. Non sivit Deus summè Misericors *Adamum* suæ jam nuditatis conscium, ac ad tonitrua vocis Jehovæ in horto itantis trepidantem, inter arbores horti pudibundum diu latitare; Sed erecto *Fœdere Gratiæ* tunica ex exuviis animalium Deo (uti credibile est) immolatorum facta eum vestivit; Atque sic ejus infirmitati, quam subligaculo ex foliis ficulneis palliare frustra adlaborabat, gratiose subvenit. Vide eruditam *Cloppenburgii* super hac re observ. Ita postquam *Semo* & *Japheto*, pio in Patrem *Noachum* ardentibus zelo, nunciatum esset, grandævum senem, pium alias Patriarcham, nimio mero obrutum, sese in medio tentorii sui retectum dedisse, nihil cunctantes, sed è vestigio, ne diuturna fieret Sancti *Patris* prostitutio, accepto pallio, amborumque humeris superimposito, ac reversis faciebus ad eum accedentes *texerunt nuditatem Patris*. Gen. 9: 23. Quæ analogia tantò est arctior, quò probabilius statuitur, illud etiam velamen, sicut & Adami, fuisse consutum ex pellibus animalium, à Noacho ejusque Filiis post diluvium Deo Sacrificatorum. Ut enim ante diluvium, sic etiam aliquamdiu post, vestes pelliceas, & eas quidem præcipuè animalibus in Sacrificium cedentibus detractas, in usu fuisse, Judæorum Magistri asseverant. Accedit quod hoc vestimenti genus uti simplicissimum, ita etiam antiquissimum sit. Job. 31: 20. Prov. 27: 26. Inde prisci Græcorum Heroes, Apri, aut Tygridis, aut Leonis exuviis induebantur, aut pelle Lybistidis Ursæ, aut Bacchæ nebride, aut bassarii, id est vulpis pelle. Et

quis

quis nunc pellitos Romanorum Patres & rustica corda ignorat? Vide Sodes *Vossium de Idololatria Lib. 3. Cap. 7.* Eo quidem audaciæ cum Judæis progredi non audemus, ut statuamus: *Locum, ubi David condidit altare in area Araunæ, fuisse locum, ubi suum condidit Abrahamus, super quo ligavit Isaacum, ubi suum condidit Noachus, cum egrederetur ex arca, ibidem fuisse altare, super quo obtulerunt Cainus & Abelus; ibidem Adamum obtulisse, cum crearetur, atq; inde fuisse creatum; Idem ei locus expiationis, qui creationis.* Uti hoc *Joh. Lightfoot ex Majmon. in Beth Habbechira Cap. 2. annotavit.* Id tamen verum est, quod, quemadmodum vetus mundus, sic & novus cum Sacrificio est inchoatus.

§. XI. *5.* Licet Adam prioris mundi Pater grande admodum commiserat peccatum, quod vel exinde adparet, quoniam propter illud omnium, qui ex illo descenderunt, posterorum dentes obstupuerunt; Verum tamen constat illum propterea maledictum non fuisse, aut saltem nullum de eo in sacris literis perhiberi testimonium; Sed terram tantum ipsius causa subjectam fuisse maledictioni. Gen. 3: 17. At non longò post sævum maledictionis fulmen vibratum est in Cainum. Gen. 4: 11. 15. Eundem viarum Dei processum & rimari & mirari licet circa *Noachum secundi mundi Patrem,* qui & ipse nullam propter ebrietatem suique prostitutionem legitur tulisse maledictionem; Constat tamen illum ipsum fatidico post spiritu impregnatum grave *anathema* enunciasse in Canahanem ex Chamo sibi illudente nepotem, ac diro servitutis jugo premendum vaticinatum esse. Gen. 9: 25. *6.* Sicut per Adami lapsum introducta est *servitus terræ* maledictæ. Gen. 3: 17-19. Nam licet homini integro quoque operandum, ab illoque terram honesto labore excolendam fuisse, inficias ire non ausimus; Id tamen, ut immotum tenemus, omne, quicquid laboris, homo integer impensurus erat, futurus fuisset jucundus, absque molestia, & cum omni animi corporisque deliciatione in domino. Quicquid igitur tædium atque molestiam peperit, à peccato arcessi debet. Rom. 5: 15. Sic à Noacho introducta est *servitus hominum.* Gen. 9: 25. Non caret enim

fundamento illorum conjectura, qui statuunt ante diluvium *nullum fuisse servum*, aut saltem non eam dominandi potestatem exercuisse in sese mutuo, quæ demum post diluvium obtineri & in tyrannidem ferè converti ac usurpari cœpit. Quod non tam optaremus, quam hodieque experiri cogimur nostro damno. 7. Sicuti propagandi *Generis humani* veluti prima semina; Ita uterque erant *Canalis* instar, salutarem Dei gratiam ad posteros derivantes. Et memorabile planè est, quod Deus *Fœdus Gratiæ*, quod cum Adamo erexerat, cum Noacho solemniter renovavit. Gen. 9: 9. Adeoque licet *Fœdus Gratiæ*, non directe hic proponatur; id tamen præsupponi & involvi, tam est certum, quam quod certissimum. *Vid. Ruard. And. Theol Super. Part. IV. Cap. II. §. 15.* 8. Dubito, an non huc commodissimè succenturiari possit conformitas in ipsa quoque sacramentorum ratione. Quid enim absurdi esset, si cum quibusdam Doctis, *Arborem scientiæ boni & mali*, statueremus fuisse *Sacramentum*, cujus usus ratione Adami in sacra abstinentia consistebat? Ita *aquarum* diluvii, quas Sacramentum fuisse temerarium esset negare, *usus*, Noachi respectu in eo consistebat, quod ipsum cum suis non tangerent ad noxam, neque insinuarent se in arcam, cui inclusus erat. Et tremendum est quod utrumque *Sacramentum* miserandam mortem improperavit iis, qui, cum non deberent, iisdem usi sunt. Et denique 9. sicut propter *peccatum Adami* omnes ejus *Posteri* damnationis *Rei* constituti sunt: Ita renovatô post diluvium mundô, *Canaan* propter enorme Paternum scelus, acerbum execrationis virus sibi propinatum exsorbere fuit coactus. Atque ita utriusque mundi initia, ex occulto; sed justissimo tamen Dei judicio, tristissimæ peccatorum *Imputationi* locum concessisse, non sine sacro quodam horrore experimur. *Perge ulterius L. B. si libet talibus viarum Dei speculationibus animum pascere.*

§. XII. Notatis itaque his antecedenter, jam res ipsa exigere videtur, ut II. ad ipsum Lamechi Oraculum propius accedamus, breviterque, quantum Instituti ratio permit-

permittit, enucleemus. De quo Moses ita scribit, cum Lamechus prole mascula tam desiderabili bearetur, vocavit nomen ejus *Noach*, hanc allegans rationem: *Hic consolabitur nos de labore nostro, & de dolore manuum nostrarum, & de terra, cui maledixit Deus.* Ubi א Nomen puero impositum illiusque ετυμολογίαν ב Rationem ὀνοματεσίας, à pio parente allegatam, lustrabimus. Et sic ad reliqua progrediemur, sequentes filum §. III. jam delineatum.

§. XIII. Prius quod attinet: De derivatione nominis נח *Noach* aliquid dubii est, & ut doctissimus *Mercerus in prolixia Comment. ad h. l.* fatetur, *multa hic occurrunt difficilia.* Ratio enim nominis impositi, quæ hic affertur à Mose, ipsi nomini non respondere videtur; np. vocavit Lamech nomen filii sui נח, quia ינחמנו: Cum נח si Grammatices Regulas sequamur, derivatur à rad. נוח, quod Hebræis est *quiescere*, at ינחמנו originem habet à rad. נחם quod in Piel significat, *consolatus est*; & sic, ut videmus, nec radix, nec significatio convenit. Proinde omnis nervus difficultatis huc recidit: Si rationem impositi nominis reddere voluit Lamechus, dicendum ipsi erat: זה יניחנו, *hic quiescere faciet nos*; non זה ינחמנו, *hic consolabitur nos*: Aut, si rationem nominis spectemus, utique vocandus erat non נח; sed potius aut נחם, aut מנחם, quod significat *Consolatio*, aut *Consolator.* Et sic optimè quadraret nomini ratio impositionis ejusdem. Variè eruditi cum hoc nodo luctantur, in diversasque abeunt sententias.

§. XIV. Qui in literarum apicibus & minutiis hærent, Verba Textus corrigere nituntur, voluntque ut loco ינחמנו legatur יניחנו atque ita nodum scindunt potius, quam solvunt. Ita *Lud. Capellus Crit. Sac. Lib. IV. Cap. 8.* Cui suffragatur *Grotius in h. l.* &c. Quam eorum επίκρισιν non aliunde, quam ex Versione τῶν LXX. putem fuisse enatam, qui, uti verissimum est, hæc verba זה ינחמנו transtulerunt οὗτος ἀναπαύσει ἡμᾶς, *hic quiescere faciet nos.* Sed (1. Audax & temeraria est planè ea crisis, quæ ex Interpretatione sola τῶν LXX. Textum Originalem corruptionis arguere non

 veretur.

veretur. (2. Antiquissimæ quæque versiones, à Græca si discesseris, cum hodierna ex asse conveniunt. *Paraphrastes Chaldæus* disertè די ינחמננא & Hieronymus suo tempore lectum ita testatur. (3. Etiamsi Græci Interpretes habeant οὗτος ἀναπαύσει ἡμᾶς, non tamen inde statim sequitur; Eos ergo legisse ינוחנו; sed id tantum, quod illi formam vocis נח considerantes, & etymologiam ejus respicientes, quamvis legerent ינחמנו; Tamen sic transferre voluerunt, ut notationem nominis magis exprimere possent. Præterea (4. ἀναπαύειν vox est generalis, quæ & per הניח & per נחם interpretari potest. Egregia sunt plane, quæ de istius verbi significatione annotavit *Christ. Stock. in Lex. Græc. ad h. v.* Ubi observat vir eruditus, Verbum ἀναπαύειν interdum talem animi *requiem* & *refocillationem* significare, quæ cum cordis gaudio ac vivifica conscientiæ consolatione conjuncta est, ut 1. Petr. 4: 14. Ubi tribuitur Spiritui S. *requiescere super fideles*, quæ quid aliud commodius designare potest, quam gratiosam ipsius in piis inhabitationem, & inde oriundam refocillationem, conscientiæ quietem, cordis gaudium, & vivificam consolationem, quam Spiritus S. in cruce & ærumnis suppeditat & confert. Conf. Apoc. 6: 11. 14: 13. 1. Cor. 16: 18. 2. Cor. 7: 13. Philem. v. 7.

§. XV. Hebræorum Doctores plerique eo ferè inclinant, ut statuant נח derivari a rad. נחם, resecta ultima litera ם, quibus alii etiam, ut *Munsterus, Vatablus, Sebast. Schmid.* &c. calculum addere non detrectant. Hoc argumento, quod in nominibus propriis à Verbo deductis, nimis magnæ solent fieri mutationes, ut tantum quædam originis indicia in literis sæpe supersint. Sed licet Grammaticorum illa κρίσις omninò vera sit: *In Derivationibus nominum propriorum sæpè accidere solet, ut litera aliqua vel addatur, vel detrahatur, vel transponatur, neque accurata Etymologiæ Grammaticæ ratio semper observetur.* ut v. g. שמואל dicitur à שָׁאַל per insertionem literæ ם, nam regulariter vocandus fuisset שאואל: sic קין à קנה cum regulariter קני inde dicendus esset: Sic יעבץ à rad. עצב per transpositionem צ & ע: Sic ex voce

אברהם

אברהם, quæ composita est, euphoniæ gratia detractum est ב ex רב & literæ finales ן & ו vocis המון. Verùm in nomine נח idem factum esse, ut credam, adduci non possum, quod neque compositum est, neque quicquam illo brevius esse poterat, etiamsi sumas נחם. Vid. *Joh. Buxtorf. Vind. Ver. Heb. p. 628.* Sed aliam hujus ὀνομαθεσίας rationem conatur reddere *R. Salamo Jarchi*, qui ינחמנו resolvit in יניח ממנו *quiescere faciet* i. e. levabit *à nobis opus nostrum* &c. quæ expositio præterquam quod dura est, peccat quoque in Regulam Grammaticam enormiter. Neque verior est illorum conjectura, qui putant נח dictum esse ex transpositione חן, quasi hac literarum metathesi alluderetur ad Gen. 6: 8. ubi Moses dicit נח מצא חן *Noach invenit gratiam.* Hanc enim paronomasiam per accidens tantum factam esse quis non intelligat?

§. XVI. Restat igitur, ut dicamus cum *Mercero, Buxtorfio, Buddeo, Stockio* & quam plurimis aliis in arte Critica versatissimis, nomen נח, quod supra jam posuimus, originem habere à verbo נוח, quod *quiescere* significat. Adeoque verba Lamechi non tam continere *rationem ex etymo nominis petitam*, quam *allusionem quandam, in re ipsa, & sono vocum admodum similium fundatam.* Verbum enim נחם & voce & significatione vicinum est verbo נוח, quod & *quiescere* & *consolari* commodè significare potest; Imo binas interdum in se complectitur significationes, ut Job. 3: 13. 26. Esth. 9: 22. Hab. 3: 16. Jes. 51: 2. Dan. 12: 13. in quibus locis verbum נוח involvit immunitatem ab omnibus afflictionibus, miseriis atque calamitatibus, quibus pii in hac ærumnarum valle premuntur, quæ *immunitas ipsissima est consolatio. Vid. Stock. Lex Hebr. ad h. v.* Præterea Hebræi aliquando magis habent rationem sensus, quàm verborum & vocum, uti hoc ipsum sapienter ostendit Aben-Esra, cujus verba digna sunt, quæ hic appingantur. זה ינחמנו ונכוח מעצבון ידינו גם נחמה מנוחה מעצבון הלב כי העברים ישמרו הטעמים ולא מלות והער ירבשת ויויוסעל. *Is consolabitur*

nos

nos & quiescemus à dolore mannum nostrarum. *Nam etiam consolatio est quies à dolore cordis.* *Etenim Hebræi magis habent rationem sensus, quam vocum, ut apparet in* ירבשת & ירובעל *Baal* enim nihil aliud est, quam *Boschet*, id est, *Confusio* seu *res pudenda.* Cum ergo ratio nominis נח ita effertur זה ינחמנו, *hic consolabitur nos*, tantundem est, ac si dixisset זה יניחנו *hic faciet nos quiescere*, quia sensus eodem recidit, & *qui solatur levat molestiam;* quasi dicat: *Hic Consolando nos, simul quiescere faciet à labore nostro, quietem nobis à nostro labore & ærumna dabit, nostrum laborem levabit* &c. Vid. *Auct. Supra Citatos.* Et Hebræi vulgò fatentur: נחמה מנוחה מעצבין הלב *Consolatio est quies à dolore animæ.* Atque sic constat, Lamechum in filii sui nomine voti ac spei suæ *μνημόσυνον* extare voluisse.

§. XVII. Videndum jam *Secundo;* Qua intentione Lamech filio suo nomen נח imposuerit, & quo sensu allaturus erat *consolationem.* De hac quæstione tot dantur conjecturæ, ut ægrè liceat numerum inire, nedum selectum facere. Recensebimus tamen plerasque, & simul cui præ cæteris adhærescendum putemus, ad calcem innuemus. In eo omnium fere Interpretum, tam Judæorum, quam Christianorum animi consentire videntur, quod non difficulter largiantur, Lamechum, sive per *revelationem divinam*, sive בדרך החכמה *per viam sapientiæ*, animo aliquid futuri præsagiente nomen נח filio recens nato imposuisse. Et sanè sæpius divini quid in impositione nominum licet in V. T. observare. *Chrysost. homil. 21. in Genes.* De futuro vaticinatum esse Lamechum ut Prophetam agnoscit. *Epiphanius l. 1. Tom. 2.* inquit: *Lamechum per Prophetiam imposuisse filio suo nomen Noë* &c. Sed præcipuum dubium est in Notatione nominis: *Hic consolabitur nos* &c.

§. XVIII. Viderunt hic carnales Judæi (uti jam supra monuimus) aliquid, nisi quod, ut solent, solo affixi, & spiritualia in externis bonis quærentes, ad humile nimis ac terrenum delapsi sunt, ac hujus oraculi sensum ad illam ferè corporis molestiam restrinxerunt, quam ex Dei maledictione, in cultura agri homines experiri coguntur,

volunt-

voluntque hoc nihil aliud continere, quam *1.*) Faciliorem agriculturæ modum, quem Noachus reperturus erat *2.*) Liberationem terræ ab anathemate illo, quô percuſſam ante Noachum, poſt improbos ac duriſſimos quoque labores, nonniſi ſpinis ac carduis horruiſſe, non ſine dolore ſpeculabantur. In quam rem ita Jarchius: עד שלא בא נח לא היה להם כלי מחר שים והוא חכין להם והיתה הארץ מוציאה קוצים ורגרים כש זורעים חטים מקללתו של אדם הראשון ובני נח נחה וזהו ינחמנו. *Antequam veniret Noë non erant eis vaſa georgica, ipſe autem eis concinnavit. Cum ſeminarent triticum terra produxit ſpinas & tribulos ob maledictionem ejus propter Adamum primum.* Eadem eſt ſententia libri Zohar Paraſcha I. Ubi de Noacho hoc traditur: נח תקן הפלים לעבורת האדמה *Noach fabricavit inſtrumenta agriculturæ inſervientia.* Aben-Eſra conſolationem Noë in eo ponit כי על ידו נתקיים העולם *quod per eum reſuſcitatus eſt mundus.* Cum quo *Lyra* & *Menochius.* Sic Noachus dedit conſolationem hominibus, cum per eum terra diluvio lacerata priſtino nitori reſtituta, & culturâ de novo ſubacta eſt, cumque *laborem arandi poſuit ſuper animalia.* Sic *R. Bechai. Franc. Georgius Tom. I. probl. 58. Diod. Tars. Lyranus, Sixtus Senenſis; Bibl. p. 440.* Sed hæc omnia Judæum prorſus redolent acumen. (*1.* Quod de agriculturæ inventione à Noacho facta referunt, id nimis dilutum eſt; Siquidem (*α*) Cainum jam ante Noachum agricolam fuiſſe, Sacræ Literæ dubitare non ſinunt. Gen. 4: 2. (*β*) Inſtrumenta ruralia facilitandæ ac ſublevandæ agriculturæ inventa à Noacho, unde conſtat? Probabilius certè eſt longè ſupponere, illa utut primum rudia, ab ipſo Adamo vel Caino inventa fuiſſe, & poſtmodum à Thubalcaino cum cætera re ferraria expolita ac ad perfectionem majorem perducta fuiſſe. (*γ*) Sed an per inventionem rerum ruſticalium omnis agriculturæ moleſtia ceſſaverit? Id ut credamus, experientia quotidiana dehortatur. (*δ*) Moleſtia, à qua Lamechus conſolari ſperabat, non tantum agriculturam reſpicit; Sed omnes

omnino hujus vitæ miſerias: Neque enim tam delicati, & vitæ hujus commoditatibus addicti pii parentes fuerunt, ut in illis corporis moleſtiis miſeriæ ſuæ maximam partem conſtituerent. (2. *Sed an etiam liberata eſt per Noachum terra à maledictionis anathemate,* quô propter peccatum Adami percuſſa fuerat? Hoc tam eſt falſum, ut huic argumento inſiſtere prorſus ſupervacaneum putem. Maledictio enim Dei, quæ propter peccatum omnes creaturas vanitati ſubjecit, tam diu incubitura eſt terræ, donec beata illa ἀποκαταςασίας & ἀπολυτρώσεως tempora Deus miſericors adeſſe jubebit Rom. 8: 20-23. Conf. Pſal. 8: 7. 1. Cor. 15: 27, 28. Act. 3. 21. Denique ex Lamechi verbis clarè intelligitur, eum ſibi ſuique ævi fidelibus promiſiſſe conſolationem. At verò quid ad eum, & qui illi convixerunt, reſuſcitatio mundi? Quid cultura terræ renovata? &c. Quæ omnia, quoad intenſum pii parentis deſiderium, quid aliud ſunt, *quam arena tantum ſine calce?* Unde adparet iterum aliud quid animo volviſſe Lamechum, quam quod in hiſce ſolùm terrenis ac carnalibus rebus terminaretur. Vid. *Witſii Oecon. Fœd. Lib. IV. Cap. II. Aug. Pfeiff. Dub. Vex. Cent. I. loc. 19. Sebaſt. Schmid. Coll. Bibl. in h. l.*

§. XIX. Chriſtiani Doctores hic rurſus in diverſa abeunt. Alii, ex quibus eſt Mercerus, exiſtimant, generalem fuiſſe conceptum in animo Lamechi, quo viderit, Noachum allaturum humano generi beneficium quietis per pietatem & juſtitiam ſuam, dum homines impios, omni niſu & molimine ad verum Dei cultum reducere conabatur. *Verùm etiamſi hoc de Noacho veriſſimum ſit; Lamechi tamen verba, non vagam aliquam, ſed definitam notant liberationem, quâ à maledictione terra abſolvenda erat.* Alii, ut *Hieronymus* & *Muſculus* hanc cauſam referunt, quod præviderit Lamech Noachum terminaturum eſſe *primum mundum,* atque omnia retro acta opera (ſcilicet peccata) quietura per eum, qui ea ſepelliet diluvio. At verò quàm egregia conſolatio! Sanè diluvium ſignum iræ fuit; Non gratiæ. Nec eſt quod objicias: Diluvio impiis mortem eſſe acceleratam, quæ eſt omnium

laborum

laborum quies & remedium. Quod quidem de *Morte* Fidelium conceditur; At mors illa, quæ per diluvium saltem plerisque contigit, non fuit quies & finis, sed initium doloris. Alii, ut *Lightfoot* & *Menochius* opinantur, eo Lamechum respexisse, quod Noë plantaturus erat vineam, inventurusque vinum, quod erat solatio cordis humani futurum, quodque temporibus Noë *concessus fuerit esus carnium*, quibus vita roboratur. Sed hæc præterquam quod nimis humilia & tam momentoso omine indigna, ita maximam partem sunt incerta. *Rivetus* conjicit, Lamechum *ex recens nato filiolo*, ut vulgo fieri solet, *quamcunque delectationem captasse.* Sed obstat (α) quod non vulgare gaudium erat, in quod pius Patriarcha erumpebat. (β) Neque sibi soli, sed omnibus sui ævi fidelibus illud profuturum non vano testatus est augurio.

§. XX. Alii, ut *Rupertus*, *Gerhardus*, *Lutherus*, *Pareus*, *Diodatus*, *Heideggerus* &c. simplicissimum putant ita exponere; Quod *Lamechus existimaverit Noachum fore Messiam, à quo benedictio & consolatio, maledictioni & miseriæ hujus vitæ opponenda, iterum sit speranda.* Licet deceptus fuerit in persona. Et sanè cum fideles illius ævi maxima certissimaque spe ad promissionem in Paradiso factam contenderent, eamque desideriis suis præoccuparent, atque interim de tempore impletionis nihil certi haberent, non est admodum incredibile, quod præ vehementia desiderii sui, in filiis sibi natis *semen* promissum sibi sint polliciti. Sed huic expositioni obicem ponere videtur. (1. Quod vix ac ne vix quidem probabile est, Lamechum nescivisse, quod Messias non tantum θεάνθρωπος. Sed revera *Semen Mulieris* i. e. *Filius Virginis* futurus esset; Absque hoc enim fides Lamechi in errorem resoluta nullum illi solatium adferre potuisset. (2. Quod si putasset filium suum Noachum esse *promissum* illum *Messiam*, (cum tamen non fuerit, nec, quod futurus esset, ullam revellationem habuerit) illum religioso cultu veneratus fuisset, & sic turpissimæ idololatriæ se reum fecisset. Quæ ut de Sancto Patriarcha credamus, non sinit pietas. Alii ut

Schotanus, à quo non multum diversus est etiam Vir doctissimus *Fran. Junius*, arbitrantur, præter communem illam maledictionem, quæ ex peccato Adami fluxit, particularem quoque aliquam maledictionem terram occupasse, quâ Deus propter malitiam, quæ tunc temporis omne genus hominum inundaverat, terræ diluvio maledicturus erat. Hanc igitur sublatum iri à Noacho confisus est Lamechus. Verùm hæc quoque cogitatio expectationi pii parentis nequaquam respondet. Quæ enim est *maledictio terræ*, quæ Lamecho *dolorem* ac *molestiam*, unde tam enixè liberari cupiebat, adtulerit, nisi Adamea illa, quæ ad finem usque mundi continuabitur? Ab hac autem maledictione Noachum terram liberasse, nemo, ut opinor, sanus dicet; Siquidem sub eadem hodie quoque mundum ingemiscere, tristis rerum experientia abundè testatur.

§. XXI. His omnibus justo pondere libratis, aliam & illam quidem sic satis ingeniosam excogitavit *Sebast. Schmidius*, qui ita explicat: *Hic consolabitur nos* &c. id est, *hujus Semen*, np. Christus Dominus ex hujus posteritate olim nasciturus. Qui itaque rem totam ita ordinare videtur: Cum homines tempore Lamechi ruerent in pejus, redderenturque deteriores, ac tandem nato Noacho toti mundo Deus interitum denunciaret; Hinc pios in insignem tentationem incidisse, cum videbant, *Promissum Messiam* nondum venisse; Mundum tamen eo non obstante totum esse interiturum: Sicque absque Messia nullum hominem salvaturum imaginabantur. Itaque Deus providentissimus voluit piis contra tantam tentationem remedium dare in ipsius Noachi nativitate ac prophetica nominis ejus impositione. Scilicet: Quòd licet Deus totum mundum diluvio sit deleturus; Noachum tamen huic periculo eripiet, eumque ad ulteriora adhuc tempora superstitem esse sinet, ex cujus familia nasciturus sit olim Messias, *verus ille piorum consolator*. In hanc Sententiam, quæ nihil paradoxi continet, lubens pedibus manibusque (quod ajunt) concederem; Si modo *Vir bonus* in Noacho veluti in *typo* Christum

invenisse

invenisse fateretur. Et certè egregie illa duo conciliari potuissent. Quid enim poterat melius dici, quam Noachum illustrem planè personam, ex quo Messias nasciturus erat, fuisse quoque typum ejusdem. *Sed hac de re infrà fusius.*

§. XXII. Nobis itaque, ut absque omni tergiversatione eloquamur, quod sentimus, vero simillima & piissima videtur illorum sententia, qui statuunt Lamechum in Noacho, ceu insigni aliquo Typo, vera fide intuitum fuisse in Christum, *Semen* illud *mulieris*, quod conterendo caput Serpentis, veram *quietem, tranquillitatem* & *liberationem* à maledictione, quæ ob peccata hominum generi incumbit, conciliaret. Quam sententiam ipse quoque *Schmidius* (etiamsi ille in diversum eat) habet, quod laudet, ut verè piam. Ita *Pelargus in h. l. Vocat ipsum Noach à consolatione, quod ejus curriculo repræsentandus esset Christus, in quo acquiesceret Deus, qui in arcam Ecclesiæ fideles condet, & à diluvio inundantis iræ Dei servet.* Sic *Theodoretus: Noë Salvatorem nostrum signat, qui requiem mortalibus adtulit, & liberavit nos à maledicto.* Pulcrè *Martyr: Ego, inquit, potius crederem, eos (scil.* primos parentes) *agnovisse ejusmodi filios suos futuros umbram Christi, & idcirco eos talibus nominibus esse insignitos.* &c. Quæ reliqua hic desiderantur, ea ultima nostræ Exercit. pars ordine pandet.

§. XXIII. Posito igitur hoc, nemo non videt, nisi qui ad ipsum quoque solem caligat, quam egregiè fluant omnia. Hæc enim sententia est, quæ pium Patriarcham & de omni errore excusat, & fidei ejus præcellentiam sartam tectamque servat ac tuetur, & denique temporis illius umbratilis naturæ perquam est accomodatissima. Quamvis minori illos tunc temporis rituum mole, quam tandem sub Mose & post Mosen Israëlitas pressos fuisse, non difficulter concesserim. Sic itaque Lamech occasione *Filii* sui erexit se in spem certissimam *adventus benedicti illius seminis*, cujus etiamsi Noachum, ut insignem typum, eximiumque præconem consideraverit; Eum tamen, illud ipsum semen esse, quod esset verus נח ἀνάπαυσις, מנחם παράκλητος,

 quies,

quies, Consolatio, qui virtute *παθημάτων passionum* suarum erat expiaturus tum peccatum, seu peccati reatum in Adamo & quotidie contractum, tum omnem maledictionem terræ incubantem, minimè persvasus fuerat.

§. XXIV. Verbum saltem hic addere libet de malis, sub quibus Lamech cum cæteris piis ingemiscebat, & quibus consolationem futuram firmissima fide opponebat. Quæ ad tria revocari posse, ex structura vocum non incommodè hariolantur Eruditi. *1.* malum est מעשנו *Opus nostrum*. *2.* עצבון ידינו *dolor manuum nostrarum*. *3.* אדמה אשר אררה יהוה *terra cui maledixit Deus*. Quarum phrasium ut per 1.mam optimè possunt designari *peccata* Jes. 59: 6. Psal. 106: 39. 2. Chron. 34: 25. Gen. 6. 5. Hos. 13: 9. Illa enim sunt *opera nostra*, opposita *operi Dei* in nobis, quæ incredibilem molestiam ac lassitudinem piis creare solent, & sicut onus grave, durius illos premunt, quàm ut ferre queant. Psal. 38: 5. Hinc est, quod Christus Dominus fideles talia onera bajulantes sublevare cupiens, emphaticè admodum ad se invitet. Matt. 11: 28. Sic per 2.dam *Malum triste*, quod peccatum indivulso nexu concomitari solet, & in se complectitur tum miserias & ærumnas hujus vitæ, tum pœnam quamlibet cujus ex peccato rei constituimur. Ad 3.tiam refero *incolatum terræ maledictæ*, qui in sudore vultus tolerandus est, & in qua quamdiu degit homo, fieri non potest, ut plena sanctitate animæque tranquillitate fruatur, & lucem faciei Dei in gloria videat. Nam *donec in corpore adsumus, scimus nos à Domino peregrè abesse*. 2. Cor. 5: 6. *Consolationem* ergo, quam spe & voto præconcipiebat pius Patriarcha, his malis oppositam fuisse, ex illis, quæ hactenus dicta sunt, manifestum est.

§. XXV. Unde vero simillima est eruditorum illa conjectura, quæ Lamechum præclaro hocce Oraculo tria illustria Gratiæ opera complexum fuisse, asserit. Adeô ut, Consolatio מעצבון ידינו *à dolore manuum nostrarum*, involvat *JUSTIFICATIONEM* h. e. illum *Dei Actum Judicialem, sed Gratiosum, quo Peccator Electus & Credens à reatu peccatorum suorum absolvitur*, (reatum enim per laborem manuum commodè intelligi posse,

posse, jam monuimus) *& jus vitæ æternæ ei adjudicatur, propter obedientiam fide assumtam.* Ita tamen, ut consolationem à miseriis hujus vitæ quoque, quæ consistit partim in ærumnarum illius imminutione per concessionem rerum prosperiorum ac lætiorum, partim animæ in interiori Divinæ bonitatis gustu *deliciatione*, per quam fit, ut ex amore Dei alacriter ac lubenter omnes eos dolores sustineant pii, quibus Deus sapienter eos exercere vult, nequaquam excludamus. consolatio ממעשנו *à labore nostro* complectatur *SANCTIFICATIONEM*, quæ consistit in illa *Gratiosa Dei actione, qua Justificati, ab operibus vitiosis, à turpitudine peccati, per spiritum sanctificationis expurgantur, & ad puritatem imaginis Dei continuò magis magisque transformantur.* Consolatio autem מן־האדמה אשר ארדה יהוה *de terra cui maledixit Deus*, significet GLORIFICATIONEM, secundum quam *Electos & Redemtos è statu infelici & vili reipsa transfert in statum beatum & gloriosum.* Et *illam* quidem *1.) vel* ut est *incboata in hac vita* & consistit in initiis ac præludiis cœlestis gloriæ, quæ hic quoque Electis indulgentur. Rom. 8: 23. coll. 1. Pet. 4: 14. Non modo ut iis consolentur sese in adversis, sed & ut ex iis aliquo modo colligant, quale ac quantum sit futurum illud bonum, quod asservatur in cœlis, & prælibata magna illâ, quam expectant, mercede, in cursu fidei, & pietatis reddantur alacriores. Vel verò *2.*) ut est *consummata in cælis*, quæ præcipue consistit in liberatione à *corpore mortis* & *à vanitate mundi*, cui ob peccatum subjectus est, ac denique in translatione animæ in *meliorem conditionem* & *sedem beatiorem.* 2. Cor. 5: 1-8. Hebr. 2: 10. Apoc. 4: 2, 3. Adde Luc. 23: 43. Joh. 14: 2, 3. & 16: 24. Phil. 1: 21, 23. Non possum hic silentio premere eruditorum quorundam sagacitatem, statuentium Lamechum ultima hac phrasi primario adspirasse ad beatissima illa *ἀποκαταστασίας* tempora Actor. 3: 21. post tristissima Ecclesiæ fata certissimè olim adfutura, *quando totus mundus vanitati subjectus liberabitur à servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei.* Rom. 8: 19, 20. 21, 22. Quæ conjectura, an non amicè cum iisdem, quæ hactenus producta sunt, conspiret? Doctis judican-

judicandum relinquo. Ad hæc bona Lamechus anhelabat hæc vovebat, hæc ſperabat, & hujus voti ac ſpei monumentum in nomine Filii ſui extare volebat. *Wil. Mom. Oecon. Patr. Tom. 1. §. 19.*

NOACHUS CHRISTI TYPUS.

§. XXVI. Id jam ſupereſt, ut pedem promoturi, ad penultimam noſtræ Exercit. Partem, oſtendamus *Noachum*, qualem hactenus deſcripſimus, fuiſſe *Umbram ac inſignem Domini noſtri Jeſu Chriſti Typum.* Quod ut ſperamus, non difficulter perſvadebimus *juſti ſtudioſis & æqui.* Qui enim Chriſtum Jeſum amat, imaginem quoque ejus amat, ubicunque eam deprehenderit. Non fugit Chriſtum ſed quærit ubique, & inventum amplectitur. Fortè etiam, qui in amantes cadere poteſt error, quibusdam in caſibus falſa imagine deludi patitur, & videre ſe putat, quod nuſquam eſt. Eſt enim, ſi principium ſpectes, excuſabilis error, & in ipſo errore voluptas. Accedit certò illud non rarò in *typis* & *figuris*, quibus Deus Chriſtum Jeſum, ejusque attributa & eventus, deformare voluit ſub *Oeconomia Vetere.* Homo enim pius & Chriſti amans aliqua ejus attributa in obvio aliquo ſubjecto antiqui temporis detegens, mox ſibi perſvadet, ſe videre omnia; Et interea ſe paſcit ſuo quodam cogitationis ſvaviludio, & ex ipſo errore fructum percipit, licet non ſolidum & conſtantem; Fere ut eſuriens per quietem cum voluptate veſcitur, & evigilans vacuum ſe ſentit & famelicum. Ita *Magn. Theol. Camp. Vitrin. Obſ. Lib. VI. cap. XXI. §. 1.* ſcribit. Quod vitium ut ſedulo præcaveamus, integrum prorſus exiſtimo, priusquam *Typicam Noachi rationem* explanaremus, aliquas, ut in omnibus Interpretationibus Propheticis fieri ſolet, ſubſternere hypotheſes. Etſi enim ſciam plurimos Eruditorum eſſe, qui in Noacho Chriſtum, ejusque attributa deprehendi poſſe minimè inficientur; Sed non me latet, eſſe etiam ex adverſo quosdam, qui *Allegorias* aſpernantur, & ſi quos videant Libros hujus argumenti, naſum ſuſpendunt, eorumque auctores, quodam ſuo præjudiciò mox damnant, tanquam captos

captos mente & judicii quadam imbecillitate minusque perſpicaci ſenſu præditos. Idem planè de piis laboribus *Typicis* ac *Parabolicis* meditationibus impenſis audacter nimis, neſcio an ſat prudenter dictitantes.

§. XXVII. *Tria* igitur ſequentia Fundamenti loco obſervari velim. (α) Singularem & planè admirabilem Divinæ Providentiæ luſum in adminiſtandis *fatis totius vitæ Noachi*, de quo præclara nimis facinora juſſit Spiritus S. in Memoriale referri; Quod ſcilicet, fuerit *jucundiſſimum* Patris Lamechi *ſolatium*, & inprimis *Zeloſus reſipiſcentiæ prædicator* ad nefarios prioris mundi incolas, eorumque *ſerius invitator ad pœnitentiam*, ut, ſi fortè converterentur, totius mundi πανολεθρίαν evitare poſſent. Et denique, quod ille cum paucis animabus, in *cymbula* admonente Deo ædificata, in profundiſſimo periculo conſervatus, indeque inſolenter & inopinato eliberatus eſt, & quæ reliqua his ſunt non abſimilia, monent nos cogitare de *myſtica* aliqua tot paradoxorum caſuum atque eventuum *ratione*, quam nemo, niſi in Chriſto Jeſu demonſtraverit. Certè enim tenendum eſt, hiſtoriam totam, quæ de Noacho narratur, verè eſſe notabilem, quæ proinde cum debita attentione legi ac expendi nequit, niſi lectorem veri amicum ſuſpenſum teneat, eumque invitet ad arcanam & myſticam ejus δήλωσιν inveſtigandam. Nobis enim verè ita perſvaſum eſt, omnem hiſtoriam *Oeconomiæ Veteris* inſolentiorem, quam patet data opera à ſcriptoribus ſacris, diligenter & exactè cum omnibus circumſtantiis ſuis narrari, majus aliquod involvere myſterium; Sive omnem caſum inſigniorem, qui Perſonis ἐξαιρέτοις ſub *Oeconomia Vetere accidit*, circa quas conſtat Divinam Providentiam extraordinem verſatam eſſe, habendam eſſe pro myſtico & ἀλληγορουμένῳ. (β) Exactam illam convenientiam, quam inter Noachum ſub Oeconomia Vetere, & aliam quandam Perſonam Illuſtrem, nempe, Chriſtum Jeſum intercedere tam luculenter ac evidenter, ut ovum ovo ſimilius non ſit, demonſtrari poteſt. Quæ rerum diverſæ Oeconomiæ, inter ſe convenientia, cum non aliunde, quam

judicandum relinquo. Ad hæc bona Lamechus anhelabat hæc vovebat, hæc ſperabat, & hujus voti ac ſpei monumentum in nomine Filii ſui extare volebat. *Wil. Mom. Oecon. Patr. Tom. 1. §. 19.*

NOACHUS CHRISTI TYPUS.

§. XXVI. Id jam ſupereſt, ut pedem promoturi, ad penultimam noſtræ Exercit. Partem, oſtendamus *Noachum*, qualem hactenus deſcripſimus, fuiſſe *Umbram ac inſignem Domini noſtri Jeſu Chriſti Typum.* Quod ut ſperamus, non difficulter perſvadebimus *juſti ſtudioſis & æqui.* Qui enim Chriſtum Jeſum amat, imaginem quoque ejus amat, ubicunque eam deprehenderit. Non fugit Chriſtum ſed quærit ubique, & inventum amplectitur. Fortè etiam, qui in amantes cadere poteſt error, quibusdam in caſibus falſa imagine deludi patitur, & videre ſe putat, quod nuſquam eſt. Eſt enim, ſi principium ſpectes, excuſabilis error, & in ipſo errore voluptas. Accedit certò illud non raro in *typis* & *figuris*, quibus Deus Chriſtum Jeſum, ejusque attributa & eventus, deformare voluit ſub *Oeconomia Vetere.* Homo enim pius & Chriſti amans aliqua ejus attributa in obvio aliquo ſubjecto antiqui temporis detegens, mox ſibi perſvadet, ſe videre omnia; Et interea ſe paſcit ſuo quodam cogitationis ſvaviludio, & ex ipſo errore fructum percipit, licet non ſolidum & conſtantem; Fere ut eſuriens per quietem cum voluptate veſcitur, & evigilans vacuum ſe ſentit & famelicum. Ita *Magn. Theol. Camp. Vitrin. Obſ. Lib. VI. cap. XXI. §. 1.* ſcribit. Quod vitium ut ſedulo præcaveamus, integrum prorſus exiſtimo, priuſquam *Typicam Noachi rationem* explanaremus, aliquas, ut in omnibus Interpretationibus Propheticis fieri ſolet, ſubſternere hypotheſſes. Etſi enim ſciam plurimos Eruditorum eſſe, qui in Noacho Chriſtum, ejusque attributa deprehendi poſſe minime inficientur; Sed non me latet, eſſe etiam ex adverſo quosdam, qui *Allegorias* aſpernantur, & ſi quos videant Libros hujus argumenti, naſum ſuſpendunt, eorumque auctores, quodam ſuo præjudicio mox damnant, tanquam

captos

captos mente & judicii quadam imbecillitate minusque perspicaci sensu præditos. Idem planè de piis laboribus *Typicis* ac *Parabolicis* meditationibus impensis audacter nimis, nescio an sat prudenter dictitantes.

§. XXVII. *Tria* igitur sequentia Fundamenti loco observari velim. (α) Singularem & planè admirabilem Divinæ Providentiæ lusum in administandis *fatis totius vitæ Noachi*, de quo præclara nimis facinora jussit Spiritus S. in Memoriale referri; Quod scilicet, fuerit *jucundissimum* Patris Lamechi *solatium*, & inprimis *Zelosus resipiscentiæ prædicator* ad nefarios prioris mundi incolas, eorumque *serius invitator ad pœnitentiam*, ut, si fortè converterentur, totius mundi πανολεθρίαν evitare possent. Et denique, quod ille cum paucis animabus, in *cymbula* admonente Deo ædificata, in profundissimo periculo conservatus, indeque insolenter & inopinato eliberatus est, & quæ reliqua his sunt non absimilia, monent nos cogitare de *mystica* aliqua tot paradoxorum casuum atque eventuum *ratione*, quam nemo, nisi in Christo Jesu demonstraverit. Certè enim tenendum est, historiam totam, quæ de Noacho narratur, verè esse notabilem, quæ proinde cum debita attentione legi ac expendi nequit, nisi lectorem veri amicum suspensum teneat, eumque invitet ad arcanam & mysticam ejus δήλωσιν investigandam. Nobis enim verè ita persvasum est, omnem historiam *Oeconomiæ Veteris* insolentiorem, quam patet data opera à scriptoribus sacris, diligenter & exactè cum omnibus circumstantiis suis narrari, majus aliquod involvere mysterium; Sive omnem casum insigniorem, qui Personis ἐξαιρέτοις sub *Oeconomia Vetere accidit*, circa quas constat Divinam Providentiam extraordinem versatam esse, habendam esse pro mystico & ἀλληγορȣμένω. (β) Exactam illam convenientiam, quam inter Noachum sub Oeconomia Vetere, & aliam quandam Personam Illustrem, nempe, Christum Jesum intercedere tam luculenter ac evidenter, ut ovum ovo similius non sit, demonstrari potest. Quæ rerum diversæ Oeconomiæ, inter se convenientia, cum non aliunde, quam

à sapientissima Dei voluntate eam ita ordinante arcessi possit ac debeat, quid obstat, quo minus statuamus *unam alterius Typum ac figuram gessisse*. Et profectò Analogia inter duas Personas tam est abundans, tamque genuina inter illas connexio, ut illis contradici, nisi cum pudore nequeat. Sed (γ) omnem planè superare videtur exceptionem, quod S. Apost. Petrus in Epist. 1. Cap. 3. *Noachum* novi mundi Caput & *arcam*, quam extruxit, *aquasque* diluvii, mysticum significatum habuisse, non obscurè testatur. Ubi Baptismum antitypum esse docet earum rerum, quæ sub tempore Noachi, & illius auspicio facta sunt. Ἀντίτυπον notat ibi *typum* alteri alicui *typo* in eadem significatione *respondentem*.

§. XXVIII. Merito proinde hic miranda est *Hugonis Grotii* στρέβλωσις, qui in luce meridiana constitutum hocce Apostoli Testimonium in perversum sensum distorquet, atque infidè corrumpit. Invidet nobis iste homo, quod Christum, illiusque opera in priscis ætatibus inveniamus. Idcirco ea etiam, quæ temporibus Noachi à Christo peracta dicuntur, torquet ad res ab Apostolis Christi gestas, & ad Evangelium, quod Gentibus prædicatum est. Unde audi quæso & stupeas: *Per Spiritus, qui in carcere sunt* intelligit *animas hominum in corpore, velut in vagina contentas*. Gentes verò, quibus Evangelium prædicatum est, existimat dici homines Noachi tempore viventes, quod iisdem, quibus illi, moribus perditissimis infecti, & à vita Dei essent alieni. Adeò ut sensus ac summa sententiæ Grotianæ huc redire videatur: *Christus, per spiritum missum in Apostolos, prædicavit Evangelium Gentibus, quorum animi in corpore, velut carcere ac vagina, reconditi erant, quique iidem meritò censentur cum immorigeris hominibus, qui tempore Noachi vixerunt, iidem inquam, non numero; sed imitatione improbitatis.* Quis non horrescat hæc talia legens? Quid enim hisce & similibus probat Vir cætera doctissimus, nisi esse sibi animum, qui non vult spiritum sanctum id dixisse, quod revera dixit, & qui eruditione sua, non ut Virum bonum decet, uti in deliciis habet? Ad quam viri detorsionem convellendam expatiari nunc nihil attinet, neque

neque, quod nervosæ Refutationi inter alios Celebr. *Hermanni Witsii*, superaddere possem, habeo. *Oecon. Fœd. Lib. IV. Cap. II. §. XI. Vide & Josuæ Placæi solidissimas hujus loci vindicias Disp. 15.* Id sanè summè dolendum est, quod Vir Doctissimus Messiam nullibi quæsiverit, ubi Judæi Gens cæteroquin cæca, ipsum jam dudum invenerant: Unde inter jejunos illos Interpretes, qui Ch. D. ex antiquis fœderis libris expunctum iverunt, eum recti collocat *Ven. Rambachius in Meletemate de sensus mystici criteriis.*

§. XXIX. Sed alienior est, (ut reliquos taceam) etiam *Sebastianus Schmidius*, Gravissimus alioquin S. Literarum Interpres, quam ut agnoscat Noachum typi instar se habuisse ad Christum. *De quo jam supra aliquid.* Idque his argumentis. *1.*) Nusquam ex Scripturis S. cum fundamento demonstrari posse; Noachum fuisse Christi Typum. *2.*) Quod non inveniat ullos in Noacho characteres, propter quos typicus humani generis consolator, quietis redditor &c. dici mereretur. Sed, ut verum fatear, elumbia sunt hæc nimis, neque tanti ponderis, ut nos à communiori sententia divelli patiamur. *Prioris* Arg. *nervum* in superioribus jam *præscidisse* sufficiat. *Secundum* verò abundè emasculabunt *Analogiæ*, quas in sequentibus depingemus. Sed *3.*) majorem veri speciem videtur habere eorum Objectio, qui argumentum capiunt ex Pronomine Demonstrativo זה *Hic consolabitur nos* &c. quo nostram sententiam funditus subrui ac infringi posse antumant. Verùm rudis ac peregrinus sit oportet in Antiquitatibus & S. Scripturis, qui non facilè intelligat, occurrere ejusmodi locutiones sacramentales, quæ *Figuris* externis rerum significatarum & nomina & attributa adscribere nihil abhorreant. v. g. Israelitæ panes suos Paschales comedentes dicere solebant הא לחמא דעניא *Hic est panis ille afflictionis, quem patres nostri comederunt in terra Aegypti.* Et, quod propius huc accedere videtur, vocabant agnum assum, in Cœna Paschali appositum גופו של פסח *Corpus Paschalis.* Nemo autem id aliter intelligebat, vel aliter quoque poterat intelligere, nisi panem illum, quem festo die

D 2 quotan-

quotannis comedebant, symbolum ac memoriale esse illius panis, quo olim in Aegypto pasti erant ipsorum majores &c. Ad rem plane Augustinus Obs. lib. 3. Quæst. in Lev. 57. inquit: *Solet res, quæ significat, ejus rei nomine, quam significat, nuncupari, sicut scriptum est, septem spicæ sunt septem anni &c. non quasi per substantiam hoc esset; Sed per significationem.* Sunt autem tales loquendi formulæ frequentes satis in S. S. ut Gen. 41: 26. Ezech. 37: 11. Dan. 7. 7, 23. 24. & 8: 20, 21. Matt. 13: 38, 39. Apoc. 1. 20. Nec est quod quis regerat: Illa quidem de Sacramentis vera esse; Non item de Typis: Nam etiamsi Typos à Sacramentis distinctos non negem; Sacramentales tamen locutiones in typis quoque locum habere, res est evidentissima: Sic *Petra dicitur fuisse Christus* 1. Cor. 10: 4. Sic *duæ Abrahami uxores Sara* & *Hagar* dicuntur *duo Testamenta.* Gal. 4. Quis autem esset tam absurdus, qui *Petram* revera *fuisse Christum*; Duas autem *Fœminas duo Testamenta*, exinde assereret? Sic Salomon vocatur ידידיה i. e. *Dei dilectus* 2. Sam. 12: 25. *Filius Dei* 1. Chron. 22: 10. *Pax.* 1. Chron. 22: 9. Quæ omnia quis non videt antonomasticè quasi ei tributa; Sed in Christo Domino dein κατ᾽ ἐξοχὴν Verificata ac completa fuisse? Et sic de *Noacho* &c.

§. XXX. Positis igitur Fundamentis, e re nostra jam erit, ut reliquam quoque ædificii partem concinno ordine superstruamus, quò veritati semel positæ major adhuc lux affœnerari queat. Quod obtinebimus, spero, ubi reverenter, &, quantum fieri potest, lucidè *Analogias* inter *Noachum* & *Christum* Dominum, in quo etiam præsens Institutum desinet, edisseremus. Ubi monendus es L. B. *Licet unus idemque Typus sub varia σχέσει varias quoque res ac personas significare possit ac soleat;* Nos tamen in id unicum, quod jam fiximus, *Demonstrationis* nostræ aciem intendemus, vix ac ne vix quidem ad alia perrecturi. 1. Itaque *Noach* est nomen, ut supra ostensum est, *quietem*, & quidem quæ cum solida *consolatione* connexa est, denotans, quod pius Patriarcha sive ex *revelatione divina*, sive *ex fide primæ Promissionis*, filio recens nato imposuit. Qui etiamsi aliquod solatium miseris sui ævi

morta-

mortalibus adtulerit, illud ipsum tamen non fuit tanti ponderis, ut omnem ardentis desiderii medullam, quo pius pater circa illum occupabatur, penitus exhausisset; Sed respiciebat potius in eo, veluti in umbra ad futurum Messiam, qui excellenter planè & in plèna emphasi dicendus esset *Noackus*, id est, *Tranquillator*. Ille enim est, qui veram ac spiritualem quietem omnibus iis largitur, qui sub peccatorum onere gementes ad ipsum se recipiunt. Matt. 11: 29. & extincto Divini furoris peccatorum omnium cervicibus incumbentis incendio, sedataque justi judicii tempestate, per medios adversitatum nimbos ac procellas, gratiosæ suæ benignitatis aura, in optatum tranquillitatis portum Ecclesiam deducit. Ille enim est *dilectus ille Filius, in quo Pater acquievit*. Matt. 3: 17.

§. XXXI. 2. *Noach fuit vir justus, integer in ætatibus suis, & secundum Deum indesinenter ambulabat*. Gen. 6: 9. Ubi duo scopuli sedulo vitandi. (α) Judæorum quorundam impietas, qui magnam viro sancto faciunt injuriam, dum dicunt: *Noachum quidem sua ætate pro justo haberi potuisse, sicut inter cæcos luscum*; At si tempore Abrahami & sequentium Patriarcharum vixisset, *nullo eum futurum fuisse loco*; Sed convincuntur hi homines testimoniis Ezechielis Cap. 14: 14, 18. Ubi nullo discrimine Noach jungitur cum Jobo & Daniele, quos comparativè tantum fuisse justos, non audent dicere. Sed rectius longè, & rem acu planè tetigisse videtur *R. Nehemias in Bereschit Rabba Sect. 30. Perfectus erat Noach inter malos, qui eum nitebantur verbis & exemplis trahere ad malum; Quantò magis fuisset justus, si fuisset in generatione Mosis vel Samuelis*. Huc apprimè facit illud *Martialis* emphaticum de Nerva:

Nunc licet & fas est; Sed tu sub Principe duro,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Et *Senecæ*: *Quanti viri est inveniri in publica perfidia fidelem*. (β) Vitanda etiam quorundam temeritas, qui ex eo, quod *Noachus dicatur justus* &c. nimis abblandiuntur sibi, eumque omnis vitii expertem, i. e. *perfectè sanctum* fuisse dictitare non verentur. Cum tamen, si accurratè in rem ipsam introspicia-

 tur

tur, nihil aliud verbis tam magnificis, quibus Noachus describitur, indigitari videtur, quam. 1.) Eum propter *justitiam* Christi, quam in plenitudine temporis adducturus erat, *fide apprehensam*, justum reputatum fuisse. 2.) Relatè ad sui ævi homines (quod etiam certum est) revera justum extitisse, & 3.) Quatenus corde sincero, omnisque hypocriseos vacuo, recta ferebatur in Deum. Quæ omnia non incommodè phrasibus loci citati designari posse, quis non videat? Distincta enim hæc sunt: Quod dicatur 1.) *Vir justus* 2) *integer in ætatibus suis*, & 3. *secundum Deum indesinenter ambulans*, quæ potissimum phrasis est dives admodum significationis, & denotat, quicquid Noachus cogitavit, egit, dixit, cum Deo & in Deo fecit omnia, ita *mens*, *cor*, *corpusque* ejus & τὸ ὁλοκληρον illius sanctum fuit Domino. Deum sibi habuit *comitem*, *ductorem* & *consiliarium*, cum quo enim ambulamus, is aut *Comes*, aut *Ductor*, aut à *Consiliis nostris* est. Sed Christus Dominus est revera ὅσιος, ἄκακος, ἀμίανθος, separatus à peccatoribus, Hebr. 6: 26. non novit peccatum, neque fraus inventa est in ore ejus 1. Petr. 2: 22. 2. Cor. 5: 21. Memorabile est, quod invidi Judæorum Scribæ ac Pharisæi Legatos expedientes ad Dominum Jesum, ut quibusvis artibus aliquid mali, aut quod saltem in malam partem interpretari posset, illi invito quoque extorquerent; Sed quid dolus adversus D. Jesum? Ecce illi iidem reversi nonnisi veram de ejus innocentia coacti sunt edere confessionem. Joh. 7: 46. *Nunquam ita loquutus est homo, ut homo iste*. Et ita triumphare solet veritas. Imo ille est יהוה צדקנו *Jehova Justitia nostra*. Jer. 23: 6.

§. XXXII. 3. Noachus appellatur *Præco justitiæ*. Id à Petro habemus, qui eum κήρυκα τῆς δικαιοσύνης nuncupat 2. Pet. 2: 5. ea est φιλανθρωπία Dei erga genus humanum, ut impendentibus pœnis plerumque *lucem*, *vates*, *præconesque* præmittat. Non sicut mundus, qui hoc in fronte gerit: *Ante ferit, quam flamma micat*. Duo potissimum emphatica illa phrasi, qua S. Petrus Noachum *Præconem justitiæ* appellat, indigitari videntur: א Illa hominis *virtus* seu *rectitudo*, secun-

secundum quam convenienter Legi Divinæ vitam institue-re velit ac debeat. Luc. 1: 6. ב Ea *Messiæ obedientia*, quâ justificatur impius. *Justitia, quæ est ex Deo, & propriæ justitiæ nostræ opponitur.* Rom. 10. 3. Utriusque Præco Noachus fuit. Non modò seculi sui homines ad vitæ probitatem, ac pietatis studium patheticè hortabatur, ut effugerent totius mundi perditionem; Sed & eam Messiæ justitiam prædicabat, quæ uti ratione efficacitatis suæ *heri, & hodie, & in secula eadem est*, ita ipsum quoque ejusdem hæredem fuisse Paulus auctor est. Hebr. 11: 7. Nam cum tantum bonum non ignoraret, imò ipse eo frueretur, à pietate viri & Zelo, quo in gloriam Dei & salutem fratrum suorum ferebatur, oppidò alienum est, ut id iis occuluerit. Vide sis *Her. Witsii Miscel Tom. 1. lib. 1. Cap. XVI. §. XII.* Quis hæc in Christum Dominum ex asse (quod ajunt) quadrare negaret? Certè enim ille multo disertius & clarius, quam quisquam unquam alius, prædicavit tum eam *justitiam*, quâ nos coram Deo justificari oportet, quam *eam*, quæ in *Sanctimonia vitæ* consistit, *sine qua Deum nemo videre potest.* Hebr. 12: 14. Cui ad testandam animi gratitudinem operam dare, ut est convenientissimum, ita & summè necessarium. Tacitus hic præterire nequeo, quod, licet Noachus fuerit fervidus *Justitiæ* Prædicator; tamen paucos admodum, uti eventus docuit, reperit obtemperantes; Plures longè obloquutores, irrisores ejusque factis sanctissimis turpissimè illudentes, *ut Drex. in Noëmo cap. 5. § 3. Ursin. Isag. Chron. Part. 1.* annotarunt. Ita de Christo Domino conceptis verbis testatur S. Hist. *1.*) quod licet potenter prædicaverit Evangelium, sanavaritque multiformes in populo suo langvores; Paucos tamen, & eos quidem vilissimos mortalium nactus est asseclas. Turba enim, quæ interdum ad eum recurrebat, non tam ex pietatis zelo, illiusque doctrinæ recipiendæ desiderio, quam miraculorum videndoum cupidine, bonorumque temporalium capessendorum vanâ spe illecta ei adhærebat. Id ipsum Christus Dominus illis exprobrat. Joh. 6: 26. *Amen amen dico vobis; Quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia edistis panes illos, & saturati estis.*

2.) Quod

2.) Quod per totam vitam obcæcatos Judæorum Primates habuit sibi illudentes, factaque ejus sanctissima impio ore blasphemantes: *Dæmoniacum, Peccatorem, Helluonem, Seductorem* &c. horresco referens, dictitantes. Quorum plena sunt Evangelia. Et denique 3.) quemadmodum notatu dignissimum est de Noacho, quod timens ille ad Verbum Dei inceptum absolvit opus, nihil metuens mundi insultus & ludibria, laboris molem & diuturnitatem: Sic Christum Dominum nullæ hominum nefariorum machinationes, nulla pertinacium hostium odia, nullæ Diabolorum formidines ac terriculamenta, non denique *Operis Redemtionis*, quô nihil unquam extitit grandius, *difficultas* ab instituto deterrere potuerunt, quin eadem animi fortitudine, quâ laborem huncce gloriosissimè auspicatus erat, perfectissimè etiam consummaret. Joh. 17: 4. 19: 30. Esai. 50. 5, 6, 7. Heb. 10: 7, 9.

§. XXXIII. 4. Noachus admonitus à Deo, ad exemplar sibi delineatum fabricavit arcam. Prolixum hic esset ire sigillatim per omnes circumstantias, earumque sensum mysticum elicere. Post largam igitur aliorum messem tenue tantum instituemus spicilegium. (α) Noach arcam ædificans sibi suisque tutum receptum parabat adversus ferales illas diluvii undas. De Christo Domino dicitur: *Et erit vir ille tanquam absconsio à ventò, & latibulum ab inundatione.* Jes. 32: 2. Item. 4: 1, 5. Qui omnibus, qui ad ipsum confugiunt, securum receptum præstat cum adversus iram Dei, quæ revelatur è cœlo, quam adversus infernalium hostium furorem. Matt. 11: 29. (β) Noachus exiguam suam familiam, i. e. octo tantum animabus constantem, servabat. Christus servat pueros, quos dedit ipsi Deus. Esa. 8: 18. Hebr. 2: 13. qui ad ingentem pereuntium numerum comparati, *pusillus grex sunt*. Luc. 12: 32. *Angusta enim est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui eam inveniunt.* Matt. 7: 14. Conf. Matt. 20: 16. (γ) In illa tamen exigua Noachi familia spes secundi mundi, generisque humani scintilla conservabatur. Christus Dominus in parvum Ecclesiæ corpus compingit totam illam *panegyrim primogenitorum*, qui novi mundi hæredes futuri sunt

Rom.

Rom. 8: 17. (δ) Noachus omnes infideles ac pœnitere nescios, communi totius mundi eluvio delendos arca exclusit. Afflictiones à Deo immissæ impios quidem consumunt,& in tartarum præcipitant; piis tamen mundandis, & ad salutem præparandis destinatæ sunt. Seu significat: Extra pomeria Ecclesiæ esse meras tenebras,errorem & perditionem; nullis enim, qui non sunt veræ Ecclesiæ membra, contingit per Sangvinem & Spiritum Christi elui, & à perditione ad vitam æternam liberari. Actor. 4: 12. *Non est datum aliud nomen sub cœlo, per quod oporteat salvari, nisi nomen JESV.* (ε) Chamus tamen permittente Noacho in arcam intraverat. In Externam Ecclesiæ communionem, sapientissimis de causis permittente id Christo Domino, multi impuri hypocritæ irrepunt, & commune Dei judicium, fidelibus immixti frequenter effugiunt. (ζ) Varias bestiarum species, naturali alioquin ferocia in se mutuò sævientes, maxima lenitate & amicabili planè vinculo tantopere continuit, ut nullô recalcitrante, nec aliâ aliam dilacerante, quælibet illarum in silentio propriam tenerent stationem. Christus Dominus est, qui robore ac efficacia spiritus sui per prædicationem Evangelii, Gentes natura feroces emollivit, & immitem ac ferinam earum indolem in agninam penitus commutavit mansvetudinem ac simplicitatem; ut deposita feritate Christo colla subderent, ac ad montem sanctitatis ejus advolantes, cum reliquis sanctis amicabili fœdere sociarentur Esai. 11: 6. & sequent. (η) Licet aquæ tam è cœlo procidentes, quam è fundo erumpentes arcam premerent, Noachumque illi, ceu sepulchro alicui inclusum, insolens Dei judicium continuò volveret ac territaret; verumtamen spe certa adhærens Promissioni Divinæ, in mediis quoque undarum fluctibus, neque animo fractus est, neque Cymbula submersa; quin quo profundiores erant aquæ, eo illam magis sublimabant cœloque propiorem ferebant. Cum Christus luctaretur cum ira Patris sui Cœlestis, cum effusis inferorum copiis, cum potestate tenebrarum. Luc. 22: 53. Joh. 14: 30. & cum malevolorum hominum pertinaci crudelitate, animum tamen non

E despon-

despondit; sed quo asperiores fuerunt illius perpessiones, eo in superiorem sublimitatem extulit ipsum Deus Phil. 2: 9. Porro (ϑ) non est inutilis illa Eruditorum observatio, quod statuant tempore diluvii universæ telluri tenebras constanter incubuisse. Cum enim atmosphæra, quanta quanta erat, maximoperè turbata, omnes, quos ambitu suo complexa fuerat, vapores, in nubes, moxque harum maximam partem in imbres copiosissimos transmutasset, vero non absimile videtur, densissimas toto passim orbe tenebras ea de causa exortas esse. *Nic. Gürt. Inst. Theol. Cap. XVII. §. 93.* Quæ observatio, si vera est, exactè respondere videtur tenebris illis trihoriis ex stupenda solis ecclypsi terram inumbrantibus, sole Justitiæ, Christo Domino in cruce pendente &c. Matt. 27. Et adumbrarunt etiam tenebræ illæ miseriam humanam, cujus caliginem nonnisi sol Justitiæ fugare ac dissipare poterat. Joh. 12: 35. & 8: 12.

§. XXXIV. 5. Sicut in omnibus Sanctis, ita certe *εὐλάβεια pius* quidam in Noacho fuit *metus* divinæ tum Majestatis & justitiæ, tum divinorum judiciorum, quæ primo mundo imminebant; &, ut cum *Chrysostomo* loquar, *ὅσιος φόβος περὶ τῆς ἀπωλειας Sanctus timor de interitu tot hominum.* Hoc de Salvatore mundi, *qui sensu infirmitatum nostrarum* mirè *affici solet* Hebr. 4: 15. conceptis verbis testatur ipse S. Paulus Hebr. 5: 7. *Qui* (Christus) *in diebus carnis suæ deprecationibus, & supplicationibus oblatis, cum clamore valido & lacrymis apud eum, qui poterat ipsum servare à morte & εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας exauditus est à pio metu.* Ille idem, dum miserandum suæ gentis excidium cum ipsa simul Metropoli Hierosolyma prævidisset, non potuit sibi temperare quin amarissime defleverit illud. Luc. 19: 41. 23: 34. Esa. 53: 12.

§. XXXV. 6. Noachus præcellenti vitæ probitate precibusque suis non tantum dilationem imminentis exitii per 120. annos Gen. 6: 3. donec arca extructa foret; sed sui suorumque conservationem impetravit. Nam ut deprecationibus plurimum valentem Danieli & Jobo eum annumerat Ezechiel. Cap. 14: 14. 20. Hinc Rabbini dicunt: גדול ולהנצל

ולהנצל הטבע לשנות אפילו התפילת כח הסכנה ולבטל הגזר. *Magna est vis precationis etiam ad mutandam naturam, ad liberationem e periculis, & ad avertendas pœnas divinas.* Apud. *Buxtorff. in Lex. Rabb. p. 1745.* Christus Dominus efficaciam sui meriti apud Patrem ostentando, & pro nobis intercedendo id efficit, ut pœnæ peccatis debitæ non tantum differantur; sed penitus liberentur quoque ab iis, qui nomen Christo dederunt. Esa. 48: 9. 10. Psal. 91: 14. 15. 16. Apo. 7: 3. - 10. Hos. 6: 2. 7. Quicquid ad priorem mundum pertinebat, Noachi tempore extinctum est, & ita per ruinam ac destructionem *Prioris* locus relictus est *Secundo:* Ita quicquid à primo Adamo ortum habet, aboleri debet, ut locum faciat *novæ creaturæ*, quæ ex Christo est. 2. Cor. 5. 17. Apo. 21. 5. 8. Nihil erat, quod gaudio, recreationi atque solatio esset Noacho in arca, nisi hoc unicum: *Fiat voluntas Domini.* Imperium divinum & voluntas unice solabantur: in cæteris omnibus habebat laboris & molestiarum satis. *Vid. Drex. & Dresser. de Angoribus & laboribus Noë.* Ita Christo Domino oppresso fluctibus iræ divinæ, vix aliquam consolationis micam experiri licuit præter *Sanctissimam Dei voluntatem*, quam in se fiundam etiam inter gravissimos dolores summo Zelo anhelavit. Matt. 26: 39. 42. *Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum istud, verum tamen non ut ego volo; sed ut tu.* Confer Ioh. 5. 30. 6: 38. 8: 29.

§. XXXVI. 9. Egressus tandem est Noachus, eductis secum in terram omnibus animantibus, quæ Deus fideli illius curæ custodienda, ac ab interitu præservanda commiserat, dum, depulsis omnibus periculis sedatisque tempestatibus, jucunda Dei & totius naturæ facies emicuit. Christus Dominus superatis omnium tentationum fluctibus, ruptis æternæ mortis repagulis, confractisque inferorum claustris in dias luminis auras triumphabundus exiit, secumque eduxit omnes, quos illius fidei commiserat Pater, nihil ex iis perdens Joh. 10. 1. Cor. 15. Coll. Rom. 6: 4. Colos. 2: 12. Adeo ut tristi rerum facie in melius mutata, læta ac jucunda conspiciantur omnia. Non jam Patris ira territat fideles, nec Orci indomita potentia periculum minitari potest iis, qui sunt Christi; *nulla enim iis est condemnatio.* Rom. 8: 1. 10. Noach

 consti-

constitutus fuit *Princeps Secundi Mundi.* Neque est spernenda ea cogitatio, quæ eum triplici munere, Scilicet; *Regio, Prophetico* & *Sacerdotali* coronatum hariolatur. *Regem* se ostendit dominio in terram à Jehova sibi concesso: *Prophetam* cum insigni Zelo prædicando, ac fatidico spiritu *Fata* filiorum certissimè olim subsequutura prædicendo: *Sacerdotem* hostiam grati odoris Deo offerendo, (*de quo mox fusius.*) Quæ omnia, cæcus sit, oportet, qui in Christo, & quidem κατ᾽ ἐξοχὴν non inveniat.

§. XXXVII. II. Postquam Noachus ingenti cum lætitia ex arca prodiisset, in redhostimentum gratitudinis suæ erga Deum, & ut ulteriorem quoque ejus favorem sibi suisque demereri posset, ex puris animantibus sacrificium holocausticum obtulit Deo Gen. 8: 20. quo de memorabile & ἐμφατικώτερον prorsus est, quod v. 21. subjicitur. וירח יהוה את־ריח הניחח *Et odoratus est Jehova odorem quietis.* Vel ut versio Tremelliana habet: *Odoratus est Jehova odorem illum gratum.* Cui, priusquam ad finem suscepti laboris properaremus, aliquid immorari, res ipsa exigere videtur. Chaldæus Interpres verba citata ita explicat: *Cum bene placito suscepit Deus.* Gratus enim odor erat, inquit, *si sacrificium benevolè susciperetur,* ut docet *Majmonides in Biath hammikdasch* cap. 9. §. 3. & *si Dei voluntas ex asse esset facta.* Ut explicat *R. Salomon Jarchi* ad Exod. 29. Unde observandum est, Sacrificium Noachi *odor quietis,* aut *odor gratus* dicitur coram Deo, certè non ratione pingvedinis accensæ, quæ fœtorem potius, quam gratum exhalabat odorem; sed 1.) respectivè ad aliud Sacrificium, quod revera tale futurum esset, quod ubi offerretur, non posset non *gratus odor esse in naribus Dei,* i. e. non posset non in eo sibi complacere, super eo acquiescere, ac ut sibi gratissimum certissimè declarare. Odoratus enim Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, percommodè notante id *Musculo in Comment. ad h l.* 2.) Quia quæ ad Sacrificium expiatorium requirebantur, diligenter observavit. 3.) Ob effectum admirandum, quo Deum prius iratum propter hominum peccata, placavit, & fecit, ut ira ejus conquiesceret.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Ad 2dam Rationem Hebræi observant, *odorem quietis dici.* α) de victimis legitimè oblatis v. c. ne quis victimam adureret, antequam in altare deferretur β) de victimis quæ plenariè expiabant, unde, si adhuc aliquid ad plenariam expiationem præter victimam requirebatur, non dicebatur cedere in *odorem gratum* Malac. 2: 3. Esa. 66: 3. γ) dici de illis victimis ubi maxima minimaque erant observata. v. g. in *ove offerenda*, Levit. 1. Quæ omnia, quam apprimè ad Sacrificium Christi transferri possint, edocet *Cl. Dassovius in h. l.* Christi enim solius mors est illud *Sacrificium perfectissimum*, in quo ne ultimus quidem quadrans desideratur; *Sacrificium boni odoris*, Patrique acceptissimum Eph. 5: 2. cujus virtute Deus mundo placatus est, maledictionemque æternam omnium cervicibus imminentem justissimè avertit, & in quo solo obtinuerunt V. Testamenti Sacrificia quoque suam εὐδοκίαν. Ideò miramur Judæorum pertinaciam, qui cæteroquin Sacrificiis non parum tribuunt; in suis commentariis tamen de Sacrificio Messiæ nihil cogitarunt. Uti *Obs. Cl. Christ. Lud. Schlichter Obs. Sac. L. §. 10.* Optimè huc adduci potest illustris Esaiæ locus Cap. 11: 3. ubi Messiæ *odoratus tribuitur* והריחו ביראת יהוה *Et odorari ejus in timore Domini*, &c. quod alii aliter explicant: simplicissimè autem omnium de Sacrificio ejus propitiatorio in obedientia usque ad mortem crucis Patri præstito (quam Propheta vocat *timorem domini*) intelligitur. Huc Apostolus 2. Cor. 2: 15. collineat, dicens: *Christi bona fragrantia sumus Deo* &c. h. e. Ministerium nostrum per Dominum J. Christum, instar Sacrificii svaveolentis Deo gratum est. Confer Rom. 15: 16. Non autem respectu *Dei solum* hac phrasi de Evangelio Christi crucifixi utitur; sed & respectu *hominum*, ad quos odor ille svavis diffunditur, & credentes quidem salvat ac recreat; incredulos autem interficit & damnat, uti 2. Cor. 2: 16. declaratur. Celebratur & alibi Salvatoris *fragrantia* & *odor bonus*, quo verbi ejus virtus & svavitas in reficiendis credentium animabus intelligitur. Cant. 1: 13. Psal. 45: 9. Vid. *Sal. Glass. Phil. Sac. Lib. V. Tract. 1. Cap. 7.*

§. XXXIX. 12. Postquam Deus odoratus est odorem

 oblatæ

oblatæ à Noacho hostiæ, promisit nunquam fore, ut mundus novo diluvio absorbeatur: Sed solummodo se eam vaporum copiam in aëre collecturum, qui radiis solaribus eleganter picti, diversicolorem iridem in cœlo formarent. Unde cuique quasi inclamare intelligeretur: *Non est quod diluvium ex iis proventurum formides. Ecce id, quod olim iræ meæ instrumentum fuit, nunc perpetuæ gratiæ exhibebit indicium.* Sic virtute Sacrificii à Christo oblati, Deus electis suis reconciliatus pollicetur, se nunquam eos in ira puniturum; sed duntaxat levioribus paternisque plagis castigaturum, in quibus gratiæ suæ radii intermicent. Et quemadmodum adparente iride necesse est solem naturalem lucere: Ita mysticum *solem* justitiæ *Messiam, cujus solium est iride cinctum, & caput iride tectum* Apoc. 4: 3. 10: 1. necesse est radios spiritus sui consolantis in ipsas passionum nubeculas immittere, ac fideles sub cruce gementes fidei vivacitate collustrare Mal. 4: 2. Vide, quæ *Martyr* de Iridis tam figura arcuata, quam diversis coloribus symbolicis, uti subtiliter, ita & piè commentatus est; nobis enim in brevem hancce pagellam, non omnia, sicuti supra monitum est, vacat ingerere.

§. XL. 13. Memorabile est in Fatis Noachi, quod ille Canaani, ex Chamo pudori paterno nefarie illudenti, nepoti maledixerit, eumque spiritu prophetico repletus, *servum servorum fore* vaticinatus est. Cur verò Canaani magis, quam Chamo maledixerit? Malumus totam hanc causam, in abyssum judiciorum Dei imperscrutabilem rejicere, quam solicite de eo disputare; secus quoque in illam controversiam descendere nunc nihil attinet. Hæc tantum hic notanda censemus. *1.*) Non in omnes Chami filios, sed in solum Canaanem fulmen maledictionis vibratum esse. *2.*) Neque caruit triste hoc vaticinium suo complemento, siquidem post annos demum octingentos, oriundi è Semo Israelitæ terram Canaan invadentes, Cananæorum Reges plus triginta debellarunt, & incolarum maxima parte deleta ad internecionem, reliquos servituti manciparunt, gravi tributo illis imposito. Et Gibeonitas ad ligna cædenda,

aquas-

aquasque ad ministerium tabernaculi comportandas damnarunt. Huic simile quid in funesto illo vitæ Christi *Theatro*, qui est Pater seculorum Esai. 9: 6. non admodum difficili opera observari posse, cur cum quibusdam abnueremus? Ille enim est, qui hausto poculo iræ divinæ Matt. 26: 28, 29. 39. In crucem sublatus, ac vestibus spoliatus, nudus omnibus irridendus ac lacessendus nefario Judæorum crimine expositus est. Matt. 27. 35. - 50. Sed dignam pro tam indigno scelere, impia illa gens retulit & hodie dum portat mercedem. Nonne enim ex justissimo Dei judicio maledictioni subjecta, per totum terrarum orbem vagabunda, nulloque libertatis privilegio gaudens, ubique locorum servitutis jugo colla subdere cogitur. Atque ita impletam in se diram suorum majorum imprecationem. Matt. 27: 25. *Sangvis ejus super nos & super filios nostros.* cum insigni cordolio experiri coguntur. Interim speramus ac planè confidimus, omnem eorum posteritatem non in æternum huic maledictioni mancipandam fore; sed erit olim tempus, *dum totus Israël servabitur; obduratio enim* illa, sub qua hodieque gemunt miseri, *tantisper illis evenit, donec plenitudo gentium in Ecclesiam introierit.* Rom. 11: 25, 26. Tandem *reversi Israëlitæ quærent Jehovam Deum suum, & Davidem Regem suum.* Hos. 3: 5. Quamvis hanc analogiam magis esse piam, quam solidam, non invitus fatear. Conf. *Spem Israelis. Cel. Jac. Altingii.*

§. XLI. 14. Ultimo denique de nihilo non est, quod Noachus cogniturus, num detumentibus aquis aridum eminere cœpisset, columbam arcâ emiserit, quæ dum decerptum olivæ folium ori insertum vespertino tempore ad eum retulit, dici non potest, quanto gaudio exinde perfusus fuerit, ac decrescentibus jam jam diluvii fluctibus, de superfice aquis levata, bonum omen hauserit. Christus Dominus est ille *verus Noachus*, qui desæviente ira Dei Patris, emisit Spiritum Sanctum (columba enim est emblema Spiritus Sancti) in corda fidelium Gal. 4: 6. certissimum *complacentiæ divinæ indicium.* Esa. 60: 8. *favorisque restituti gratissimum nuncium*, ut eo duce atque efficaciter in filiis Dei operante

conso-

consolationem acciperem
radicati atque fundati, valer
titudo & longitudo, & profun
hoc fusius differentes *W*
tem *Martyrem* & *Musculum*

§. XLII. Hæc itaqu
dum alii ad incerta quæ
nos cogitemus, *Typos esse*
quadam sapientia suspic
rebus loco *vocum*, quod lo
terpolare, illud torquere
ferre nunquam sustinear
Typ. §. *XLV.* Tu verò L. B
dè in hocce *Opusculo* disp
humanæ infirmitatis, cu
amorem ac favorem tuum
desiderio contendentes,
tat solida ac vera Tranquilli
habere ac venerari officii p

Et quandoquidem
hujus Terræ, ceu totide
quodam quasi tranquillit
etiam pro *Augustissimo Rege*
demiæ Viadrinæ *Noacho*,
Magno, ejusque totius *A*
pulis simul Augusto suc
nas hodierni diluvii *Eur*
vat,) *Tranquillitate perpetu*
simi, Gloriosissimi Potentissim
intercessionis sacrificio
quam negligito. Cui
Seculórum Sec

acciperent. Joh. 14: 26. & 15: 16. *ac in charitate* *dati*, valerent assequi, *quæ sit illa gratiæ Dei la-* *,& profunditas, & sublimitas.* Eph. 3: 18. Vide de erentes *Witsium Oecon. Lib. IV. Cap. VI.* §. 27. I- *Musculum in h. l.*

Hæc itaque in præsentiarum sunto satis, & certa quævis, seu potius jocularia feruntur; *Typos esse Verbi divini genus*, idque recondita tia suspiciendum, cum Deus in eo loquatur , quod longè mirabilius est. Illud ergo in- torquere, illius gloriam in figmenta trans- sustineamus. Monente *Jac. Gussetio Inst. Theol.* verò L. B. si quæ præposterè vel minus soli- *sculo* disputata animadverteris, memineris itatis, cujus nos quoque probè conscii ad rem tuum appellamus, ex te insuper enixo ndentes, ut *Dominum Jesum, sub cujus alis habi- Tranquillitas.* Mal. 4: 2. *pro perfectissimo Noacho i* officii putato.

quidem Deus T. O. M. Reges ac Principes eu totidem Noachos Populis ac Nationibus ranquillitatis jubare præfulgere voluit. Hinc *ssimo Rege Prussiæ*, Clementissimo nostræ Aca- *Noacho*, FRIDERICO WILHELMO verè e totius *Arcæ* (in qua nos etiam cum tot po- gusto suo Imperio subditis, inter decuma- iluvii *Europæarum Gentium* procellas conser- *ate perpetuanda*, ad Thronum Gratiæ *Perfectis- Potentissimique* illius Noachi D. N. J. C. jugi sacrificio indefinenter interpellare nequa- gito. Cui sit *Laus*, *Honor* & *Gloria* in omnia orum Secula 1. Tim. 6: 15, 16. Amen.

(O)